ORATIONES DECEM

A PUBLICO ELOQUENTIAE

PROFESSORE

IN SOLEMNI

STUDIORUM INSTAURATIONE

HABITAE

Emo, ac Reverendiſſimo Principi

FRANCISCO XAVERIO DE ZELADA

S. R. E. CARDINALI

NUNCUPATAE.

ROMAE MDCCLXXIV.

EX TYPOGRAPHIA JOANNIS ZEMPEL

SUPERIORUM PERMISSU.

EMINENTISSIMO, AC REVERENDISSIMO

PRINCIPI.

AUCTOR F. P.

ITA ſe mores habent, Eminentiſſime Princeps, ut qui libros publici juris faciunt, non modo aliquem ſummo loco natum, & auctoritate praeſtantem Virum ſi-

bi deligant, cujus nomini eoſdem inſcribant, & patrocinio commendent; ſed ejuſdem quoque laudes contexere, tituliſque paſſim congeſtis promerita longa ſatis oratione extollere praeclarum putent. Quod rite ne, an ſecus cenſeam, praetereo; neque id tantum mihi arrogo. Verumtamen certe ſcio illud alterum a me vehementer probari, quod Te talem ingenio, conſilio, auctoritate Virum libelli hujuſce mei Patronum nactus ſim, quo nihil mihi optatius poterat contingere; alterius rei onere me levari plane intelligo. Praeterquam quod enim nulla apud te, Hominem modeſtiſſimum, gratiae conciliatrix copia dicendi valet, quia laude digna

gna potius facere, quam praedicari, esse potius, quam videri contendis; id ipsum egomet semper animo statui, summorum Virorum, qui apud omnes famam virtute superarunt, laudes non exornari commemorando, sed imminui solere. Quare dum tuam in difficillimis rebus gerendis contentionem, in perficiendis solertiam, dum in gravissimis Ecclesiae muneribus obeundis tibi jamdiu commissis fidem, integritatem, dum ingenii acumen, doctrinarumque omnium, quibus mirifice praestas, amplitudinem unanimi consensione caeteri laudant; ea omnia, licet splendidissima sint, ne attingere quidem me oportere arbitror. Om-

nes enim norunt, vident omnes, nullam rem esse tantam, ac tam difficilem, quam non & consilio regere, & integritate tueri, & constantia possis conficere. Ac si, ne oratio mea ingrata aliis videretur, aliquid mihi de tuis laudibus dicendum esset; id plane novum fortasse, & inusitatum praeconium commemorarem, Te videlicet ne in otio quidem esse otiosum. Dum enim horis ad relaxandum curis animum praestitutis, vel pretiosa vetustatis monumenta sapienter inquiris, vel singula contemplaris, atque degustas, quae in usu rerum naturalium posita sunt, vel librorum, quibus optimis lectissimisque abundas, lectioni sedulo vacas; non

ad

ad voluptatem tantum, ſed ad cognitionem ea omnia referri vis, ut Tui non minus otii, quam negotii ratio apud omnes exiſtat. Ita ſane Dignitatem maximam laboribus, ac virtute partam, iiſdem ſemper artibus Tibi retinendam eſſe arbitraris. Quae dum vel invitus omitto, id certe, quod animum meum vehementer commovit, quare Orationes haſce meas Tibi ſiſtere auderem, praeterire nullo modo poſſum; Te nimirum Adoleſcentium commodis, & ſeveriori in litteris, ac moribus diſciplinae ita mentem adjeciſſe, ut nihil habeas antiquius, quam optimos eiſdem Praeceptores conſtituere, legum normam ſancire, adeſſe omnibus, vigilare, cum

ad maximam utilitatem Reipublicae, cujus partem ſane graviſſimam ſuſtines, tum ad decus, celebritatemque eximii illius Lycei, quod Te ſtudiorum Auſpicem, ac Praeſidem ſibi nuper oblatum datumque eſſe jure optimo gratulatur. Cum igitur quas pro munere quotannis Orationes habui, ut Adoleſcentes ad intermiſſa litterarum ſtudia alacriter repetenda cohortarer, eas nunc pro mea erga eoſdem ſollicitudine, ac ſtudio typis commendem; ad quem trepidae nutanteſque, niſi ad Te, aſſiduum litterarum cultorem, benevolum litteratorum vindicem, ſtudioſae Juventutis patronum amantiſſimum confugiant, cujus & potiſſimum de-

co-

corentur nomine, & patrocinio ſubleventur? Quapropter has excipe, prout caetera ſoles, Eminentiſſime Princeps, humanitatis, & benevolentiae argumentis; quaeque Tuis prodeunt, & prodire geſtiunt Auſpiciis inſignitae, eas patere in Tuo ſinu conquieſcere, quo promptiores, alacrioreſque factae minus conſpectum hominum, lucemque reformident. Interim, ne in publica videar peccare commoda, ſi tot graviſſimis diſtentum curis Te fuſiori, quam par eſt, verborum copia detineam; illud unum a Te vehementer exoro, ut, ſin minus hoſce laboris mei fructus, quos exiguos plane eſſe ſentio, meam aequi bonique facias voluntatem, con-

ſi-

ſiliumque, quod mihi in ſcribendo propoſui; ut ſcilicet qua poſſem utilitati conſulerem Adoleſcentium, erga quos tuae ſplendidiſſimae, & maximae amoris ſignificationes, ac ſtudia tanquam in media luce collocantur.

AD

AD LECTOREM.

NUnquam fore putabam, Lector benevole, ut quas in ſolemni ſtudiorum inſtauratione litteratorum hominum conventu Orationes habueram, in publicum aliquando mea voluntate prodirent. Exiguum enim illarum cenſum facile reputanti nulla ſubeſſe mihi poterat vel cujuſdam aucupandae gloriolae, quae tamen noviſſima inter homines exuitur, vel ſcriptis inclareſcendi cupiditas, quae per omnem aetatem quodammodo ſerpit, & acrioribus ſtimulis animos hominum acuit vehementiſſime. Cum autem compertum haberem, unumquemque aliorum commodo pro virili parte conſulere oportere, eorumque praeſertim, quibuſcum quaedam officii ratio intercedit; intemperantis eſſe duxi, prout Tullius admonet, ſcripſiſſe quondam, quod deinde, vellem occultari. Quae quidem cum apud me plurimum poſſet cogitatio, alia ſane graviſſima non defuit: quod mei non amplius juris eſſe quidquid de litterarum praeſtantia, aut utilitate Adoleſcen-

ſcentium ſtudiis proluſurus publice diſſerueram, ſed ad illos pertinere arbitratus ſum; in quos idcirco injurius eſſe mihi videbar, ſi quod unum ad eorum fructum, & commodum, quod quam leve ſit intelligo, conferre poteram, vel propter pudorem, vel propter metum abjeciſſem. Quod enim alterum accedebat incommodum, dum cogitarem me in attritam aliis arenam deſcendere, nihil ſuſcepta re animum abſtraxit. Adoleſcentes enim iterum ac ſaepius pro illorum aetate admonere, ſtudiorumque rationem ingreſſuris nova diligentiae, ac laboris incitamenta addere, nemo alienum judicabit. Habes igitur, candide Lector, conſilii mei rationem cognitam, atque perſpectam, qua tandem adductus ſum, ut paterer publici juris fieri Orationes haſce meas, ea tamen lege, ut Oratoris nomen, lucem hominumque judicia pertimeſcentis, ſilentio praeterirent. Quod interim reliquum eſt, te etiam atque etiam monitum volo, omnia hic a me pro loci, ac temporis opportunitate leviori tantum calamo fuiſſe pertractata; neque vel ſubtilem ſermonem, vel argumentorum pondera, vel robuſtioris elo-

quen-

quentiae nervos esse requirendos. Quae enim non temere, sed pro munere quotannis palam disputavi, Adolescentibus duntaxat me scripsisse fateor; quos non rerum ambagibus, non quaestionum subtilitate, & acumine, sed hortatu monitisque plane dilucideque propositis, tum etiam politioris elegantiae floribus, verborum copia, & sermonis pene dixerim lenocinio ad Litterarum iter, spinis tribulisque consitum, alacriter suscipiendum allicere consultius esse semper existimavi. Hoc utrum ego praestiterim, ea qua polles sapientia ipse videris. Vale.

CENSORUM APPROBATIONES.

DEcem has *Orationes* juſſu Rmi P.F. Thomae Auguſtini Ricchinii Sac. Ap. Palatii Magiſtri legi ego diligenter, & magna cum voluptate. In iis autem nihil reperi, quod ab Orthodoxae Religionis Decretis, rectaque morum inſtitutione diſcrepet; imo quod non diſtincte, ornate, eleganterque ſcriptum ſit, quod non ſucci plenum, quod non dignum laude ſingulari. Eas igitur dignas cenſeo, quae in lucem edantur, praeſertim cum Adoleſcentibus, qui ad amoeniores litteras inſtituuntur, proſpiciam perutiles futuras.

Dabam Romae XV. Kal. Jul. An. MDCCLXXIV.

Joannes Devoti Anteceſſor, &
Advocatus Romanus.

JUſſu Rmi Patris Fr. Thomae Auguſtini Ricchinii S. P. A. Magiſtri *Orationes Decem* elegantiſſimas legi Anonymi Auctoris incredibili animi voluptate. Nihil in his profecto inveni, quod Religioni boniſve moribus contrarium eſſe videatur: imo omnes ſummo ingenio ſic elucubratas perſpexi, ut tum ob latini ſermonis elegantiam, tum ob argumentorum gravitatem, diſpoſitionem, ac vim, ingenuae juventutis progreſſui, quem potiſſimum doctiſſimus Auctor reſpicit, plurimum prodeſſe poſſe arbitrer. Itaque dignas puto, quae typis evulgentur.

Romae Kal. Jul. An. MDCCLXXIV.

Aloyſius Godard in Collegio Romano
Humaniorum Litterarum Profeſſor.

I M-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Rmo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

F. A. Epiſcopus Montis Alti, ac Viceſgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ord. Præd. Sac. Pal. Ap. Magiſter.

IN-

INDEX ORATIONUM.

ORATIO I. *De prava Librorum Lectione tempestive vitanda.* Pag. 1.
ORATIO II. (*De bonis Artibus.* pag. 24.
ORATIO III. *De amplissimis Disciplinis.*)
(*Non ad voluptatem curiositatemque, sed ad communis societatis bonum traducendis.*) pag. 41.
ORATIO IV. *De Morum Sanctitate cum Doctrinae laude conjungenda.* pag. 60.
ORATIO V. *De Litterarum praesidio ad vitam in hominum consuetudine liberaliter traducendam.* pag. 82.
ORATIO VI. *De Poesi a falsis criminationibus vindicata.* pag. 99.
ORATIO VII. *Nulla plenior felicitas, quam quae Litteris comparatur.* pag. 122.
ORATIO VIII. *De Artis Criticae amplitudine, ac difficultate.* pag. 137.
ORATIO IX. *Boni Civis est Litterarum studia ad communem felicitatem conferre.* p. 155.
ORATIO X. *De Utili Librorum Lectione.* p. 174.

ORATIO PRIMA

DE PRAVA LIBRORUM LECTIONE TEMPESTIVE VITANDA.

QUoties ego reputavi, Auditores, diligentiam illam incredibilem, ac pene divinam, qua tot nos praeceptoribus, exemplis, inventis inſtruxit antiquitas, quot ſunt optimorum librorum monumenta ad omnem poſteritatis memoriam paſſim litteris conſignata; toties noſtris hiſce temporibus tacitus mecum animo ſum gratulatus, maximamque hujus praeſertim aetatis felicitatem eſſe intellexi, cui docendae priores mirum in modum elaborarunt. Quid enim jucundius, quam illos bonarum artium Antiſtites habere familiariſſimos, cum iis peregrinari, ac ruſticari? Quid delectabilius, quam ad res

pulcherrimas cognoſcendas e tenebris in lucem erutas alieno labore deduci? Quid utilius, quam eos ſummos homines, atque ſanctiſſimos diſciplinae morum Magiſtros conſulere, qui neminem ad ſe venientem vacuis unquam a ſe manibus abire patiuntur? Cum vero maxima iis habenda eſt gratia, qui ita fuerunt optime de litteris, deque univerſa hominum ſocietate meriti, tum vehementer ii vituperandi ſunt, qui ingenio turpiter abutentes nefaria ſcripta ad aliorum mores corrumpendos, Religionemque labefactandam accommodata reliquerunt. Quod utinam quorumdam praeteritorum temporum hominum vitio dumtaxat verti poſſet, nec multos etiam hoc aevo prava haec debacchandi licentia tranſverſos ageret, qui quae prave ſentiunt, vel eblandita conſenſione, vel per fraudem in lucem proferre non dubitant. Proh rem calamitoſam, & acerbiſſimam! Illud enim non intelligo, quamobrem ſi vivere honeſte non poſſunt, ſceleris ignominiam quaerant; aut cur minore dolore in aeternum perituros ſe cum multis, quam ſi ſoli pereant, arbitrentur. Revera ſi vitiorum coeno involuti luxus, atque nequitiae impunitatem

tem aucuparentur, eſſent illi quidem deſperandi, ſed tamen aliquo pacto ferendi. Hoc vero quis ferre poſſit, cogitationes perditiſſimorum hominum & conatus nil minus reſpicere, quam ut turpia eorum mentis cogitata, libidinis, aeffrenataeque audaciae monumenta ad multa ſaecula propagentur; dum poculum venenatum imperitorum vulgo exhibentes, eorum plures in ſocietatem criminis adſciſcere conantur? Neque id fruſtra ſperare videntur. Eo ſiquidem temporum calamitate devenimus, ut hujuſmodi libri, ſeu peſtes teterrimae, Phoenicum more e cineribus renaſcentium, paſſim in urbes irruant, e disjunctiſſimis regionibus exportentur, longiſſima Maris ſpatia percurrant, mercibus permutentur, & ad noſtra haec littora etiam appellant, ſeu potius per vim, aut dolum irrepant, ab eruditorum grege perlegantur, apud togatos celebrentur, & vulgi ipſius oculos nequaquam effugiant.... Quamquam quid ego inconſultus, dum hujuſce me piget calamitatis, altius procedo, quam aut mea conſuetudo fert, aut muneris ratio poſtulat? Vos mea potiſſimum ſpectat Oratio, ingenui Adoleſcentes, qui

plerumque novarum rerum avidi haec monſtra temere offenditis. Non auctorum, qui & ipſi viderint, & in perniciem ruunt voluntariam, ſed veſtrum gratia doleo, vehementerque angor, quibus innocentibus periculum faceſſunt; Eoque magis quod illud crebris uſurpari nonnullorum ſermonibus intelligo, ei dumtaxat, qui nullo habito diſcrimine cuncta paſſim edita perlegit volumina, adoleſcentis liberaliter inſtituti laudem tribui oportere. Rem igitur tum hujus diei celebritate, tum hoc conſeſſu veſtro digniſſimam me facturum arbitror, Auditores, ſi infirmis adhuc adoleſcentium mentibus periculi magnitudinem oſtendero, cui minus cogitantes occurrunt, dum libros de Religione, ac moribus liberius agentes, vel leviter oculis perluſtrare minime verentur. Ex quo ſumma cura, diligentiaque peſtem hanc non ab animo tantum, atque oculis, ſed etiam manibus, & toto corpore ſibi propulſandam eſſe facile intelligant.

Dum autem malorum librorum lectionem adoleſcentibus apprime periculoſam eſſe ſtatuo, nolim quis arbitretur, me de iis ſermonem inſtituere, qui prima fron-

fronte vitiorum turpitudinem oſtendunt, flagitia commendant, corruptelarum illecebras, Religionis contemptum palam, & quaſi in propatulo legentibus proponunt. Quotus enim quiſque eſt tam rationis expers, tam parum de ſe cogitans, qui, cum in haec teterrima monſtra oculi inciderint, toto corpore non perhorreſcat? Quin optandum eſſet, ut quoniam deſperatorum hominum flagitioſi greges in arcem Sion erant irrupturi, hoſtium faciem nullo non tempore praeſetuliſſent, & quotidie praeſeferrent, ut contra apertam vim ſceleris acies armata conſiſteret. Etiam illud aequo animo ferendum, ut Zenones alteri, Epicuri, Libanii, Themiſtii, Lucretii, Julianique ab inferis excitarentur; ut unuſquiſque infenſiſſimos hoſtes facile agnoſceret, & ſe ab illorum aſpectu quam citiſſime removeret. Sed aliud eſt genus hominum timendum magis, ac periculoſum, qui ſe non Religionis ſanctiſſimae hoſtes, ſed patronos venditant; non ad eam labefactandam, ſed vindicandam ſe inſurgere clamitant. Quorum libros tartareo conſcriptos calamo dum per omnem aetatem a veſtris manibus, adoleſcentes,

divellere contendo, facile intelligo, quam ſcopuloſo, difficilique in loco verſer, & quantam ſim invidiae molem ſuſceptu-rus, cum apud ejuſmodi Scriptores, quo-rum eſt irridere, ac debacchari, tum for-taſſe apud probatiſſimos viros, qui id a me arroganter ſuſceptum incuſabunt, quod provinciam maximam, ac plenum o-pus aleae aggreſſus ſim, in quo non levis, ac perfunctoria, ſed ſumma, & excel-lens penitiorum, & ſacrarum facultatum cognitio ad rem totam apte dijudican-dam requiritur, a qua mei ratio muneris abhorret. At non id mihi arrogo, Audi-tores, quod ſanctiſſimi ſimulque doctiſſimi viri ſatis ſuperque praeſtiterunt, ut crimi-nationes, hominumque errores refellam. A-doleſcentium aetati unice conſulturo non-nullas tantum malas artes, inſidiaſque de-tegere mihi viſum eſt, quas plerumque ho-ſtes infenſiſſimi, quorum ſermo, ut inquit D. Paulus, ſerpit ut cancer, ſolent eo conſilio adhibere, ut arctiſſimis veluti la-queis imperitorum mentes facile irre-tiantur.

Et revera unum vel alterum hujus fur-furis librum, quin Auctorum nomina pro-feramus, vobis, adoleſcentes, mecum li-

ceat

ceat, quod profecto nunquam alias sine piaculo liceret, in manus pauliſper ſumere. Nil, ſi externam faciem ſpectemus, elegantius, nil formoſius, nil ornatius. Non enim deſunt pigmenta, non aureae notae, non luxuriantes quaedam litterarum formae, ut nihil ex Typographi officina magnificentius prodire potuiſſe videatur. Neque minus interior facies oculos perſtringet. Enim vero non tantum mendis expurgatum eſt opus; ſed ſplendida quaedam ſpatia hinc inde venuſte interjecta legentium curioſitatem alliciunt. Huc accedit, quod vel Maecenatis potentiſſimi nomine ſit inſignitum, vel etiam non patrio, ſed peregrino ſermone exaratum, quo plerique noſtrum degeneres temere allucinamur. Sed quoniam haec levia fortaſſe ſunt, quid tandem nitidiſſima libri frons exhibeat, animadvertite, intentoſque oculos in eam, mentemque conjicite. Nam hic maxima vobis inſidiarum illecebra proponitur. Nimirum vel de libertatis humanae fundamentis, vel de rationis vi, ac praeſtantia, vel de natura hominum vindicata, vel de communis felicitatis fontibus noſtri homines inſcribunt, aut, ni fallor, Religionis etiam vocabula u-

ſurpant, aut certe Philoſophica, aut Metaphyſica ſtatuunt rudimenta, quae recoctam veluti crambem figmenta veterum proponunt. Cum igitur inſita unicuique noſtrum ſit ſciendi cupiditas, quae non tacitis quibuſdam ſtimulis, ſed erumpente veluti flamma ad nova in dies inveſtiganda vel minus cogitantes impellit; quid facilius per Deum Immortalem, quam magnificis hujuſmodi vocabulis, & graviſſimarum quaeſtionum ponderibus primum obſtupeſcere, tum animis, oculiſque conſiſtere, hinc legendi deſiderio inflammari, hinc ſumma rerum capita, quae grandia ſane, ac ſplendida promittunt, ſedulo animadvertere, & demum in totam lectionem incumbere, ſingula ſenſibus deguſtare, animo defigere, ſeu, quod idem eſt, miſerrime decipi, atque corrumpi? Neque in eam fruſtra ſpem deſcendunt homines fallaciſſimi, qui utrum magis nequitia, an calliditate praeſtent, in incerto habetur. Vix enim, fucata rerum facie illecti, operis, ut moris eſt, limen attingimus, quid eſt quod de eorum moribus, aut Religione dubitemus? Hi videlicet ſe hominum ſocietatis amantiſſimos, ſe aequi, honeſtique non cupidos ſolum,

ſed

ſed vindices diligentiſſimos, ac ſi plura etiam requiramus, ſe de vera Religione ſarta tecta cuſtodienda apprime ſollicitos apertiſſimis verbis praedicant, atque commendant. Quae quidem virtutum tam inſolens oſtentatio quantopere a veritate abhorreat, quaeſo reſpicite, Adoleſcentes. Quid enim diutius immoramur? quid voſmet decipi malis artibus patiamini? Detegantur tandem aliquando ante conſpectum veſtrum, quin maturius diſcindantur ficta haec, quibus induuntur ſpolia, introſpiciantur quaeſtionum momenta, viſcera ac medullae recludantur; atque ita mentis abſurda, licet artificio ſimulationis erudita, in apertum erumpant.

Refugit animus ea commemorare, quae libenter omitterem, veritus, ne dum hominum audaciſſimorum portenta in medium proferam, faetidiſſimo etiam halitu polluamur. Quid? Tu verae felicitatis fontes te hominibus recluſurum promittis? Magno nimirum tibi ſingulos beneficio devincies, qui illius praeſertim ſtudio inflammantur. Quid vero quod primum imbecillitatem humani generis, eaſque aerumnas, quibus paſſim obruitur, callide con-

que

queſtus, in meliorem ſpem cogitationemque inducis? Tum, ab ipſa naturae conditione felicitatem expromens, nonnullas cupiditatum illecebras ſenſim deguſtandas proponis? aliae ſiquidem, inquis, non flagitioſae, non turpes habendae, utpote quae nobis ſunt inſitae, aliae nullibi honeſtati, aut decori refragantur, aliae hominum conſuetudini, ac rationi ſunt conſentaneae; atque adeo naturae motibus ultro indulgendum, quae ſi ab animi cupiditatibus, ad quas omnes ſponte trahimur, nos abduceret, novercam ſe, non parentem nobiſcum gereret amantiſſimam; Hinc amare & amari, prout cujuſcumque libido fert, non vitium, ſed voluptatem vocas humaniſſimam, ac liberaliſſimam, cum praeſertim nil aequitatis jura imminuantur, nil communis ſocietas perturbetur; Hinc ventri, aut luxui ſe tradere minime judicas probroſum, Sibaritarum credo,& Mileſiorum invidens conditioni, quos de Corporis deliciis ſolerter inveniendis, ac ſumptuoſius parandis diu inter ſe, tamquam de imperij ſumma, accepimus contendiſſe; Hinc ambitionis ſemina, non peſtes perniciesque virtutis, ſed fontes, ac radices quaſdam multorum bo-

bonorum procreatrices, & velut aculeos nuncuparis, quibus animi dumtaxat vulgares, ac degeneres minime commoventur; Hinc iratis minime ſuccenſes, ſed irritabiles ſaepe vel optimorum hominum animos doces, eoſdemque placabiles, & eſſe hanc agilitatem, mollitiamque naturae plerumque bonitatis. Et quoniam veram germanamque felicitatem paras, virtutum, ac vitiorum nomina ipſa extinguere conaris, nihil habere inter ſe vel diſcriminis, vel poteſtatis diſputans, ſed pro hominum ingenio, atque arbitrio eſſe reputanda. Quae dum impuriſſimo ore evomis, certe Epicuri dogmata inſtauras; verumtamen Epicuri, ac Zenonis Stoicorum Principis perverſitatem longe ſuperare mihi videris; qui quamvis prava opinione capti, demiſſius alter, alter arrogantius de virtute ſentiendo, eamdem revera corrumperent, virtutis nihilominus nomen retinuerunt.

Tu humanae rationis vim poteſtatemque praedicas? nihil obſto. Quid vero quod in commemorandis tam multis rebus ab ea preclare inventis, vel affabre perfectis verboſior, eam pedetentim a verae Religionis tramite divellere conaris?

Dum

Dum ſcilicet rationis fines praetergreſſus ſingulas rite Credendi leges, tamquam vincula eidem injecta, & probroſam veluti Tyrannidem eſſe impudentiſſime blateras. Hinc vindicanda libertas, mens altius erigenda, laquei diſrumpendi. Quandoquidem negas tantam praeſtantiam, libertatemque cum duriſſima ſervitute poſſe convenire. Neque illud intelligis, dum tantum pro rationis libertate tuenda defatigaris, quantum vix olim contra Perſarum phalanges Graeci inſudarunt, quidquid eſt in ea praeſtantiae, vis, & acuminis a ſummo rerum omium largitore eſſe profectum; ideoque turpe eſſe, a quo acceperis, in eum arma convertere. Tu ſacrarum religionum, morumque ſanctitatis vindicem te eſſe adſertoremque jactitas e veſtibulo. Magnifica vere vox, & Chriſtiano homine digna oſtentatio. Verumtamen quid quod ſacros Ritus una cum ſaeculis, & aetatibus omnibus inveteratos contemnis? quid quod recondita Religionis myſteria, quin opprimi verearis a gloria, humanis audes examinare ponderibus? Hinc debacchantis ingenii quaſi quodam aeſtu compulſus Coelum ipſum petis ſtultitia, infinitis Dei vir-

virtutibus auſus aliquid detrahere, vel eas impuriſſimo ore corrumpere; Illinc acheronta, Herculem credo imitatus, perrumpis, ut illam ſuppliciorum ſedem vindicandis impiorum flagitiis conſtitutam, veluti fabuloſum inventum irrideas. Habes praeterea, ubi praeclaram illam tuam de religioſo vitae cultu, atque inſtitutis diligentiam, ac ſollicitudinem oſtentes. Enim vero quid quod Ethnicorum, aut illorum qui a vera Fide defecerunt probitatem tot laudibus extollis, tantaque proſequeris admiratione; quaſi vero aut Pythagoras, aut Numa, aut Socrates, aut Fabricius, aut Curius cum Religionis noſtrae Sanctiſſimis viris ſint ullo pacto comparandi? Quid quod naturalis quaedam honeſtatis dogmata dumtaxat proponis, & Numinis illuſtrantis opem tamquam fruſtra expoſcendam, quaſi vota hominum nequaquam reſpiceret, verborum ambagibus imminuis, ut imperitorum mentibus piorum inſtitutorum contemptum, & una cum eo execrabilem vivendi licentiam, ut fieri neceſſe eſt, tandem inducas? Tu mihi Philoſophiae, tu Metaphyſicae, quibus fontibus irrigaris, rudimenta, prout vocas, legenda exhibes?

Aſt

Aſt nobiliſſimarum facultatum ſpecie, ac nomine, quae ſemper debent pietati, ac Religioni ſuo jure famulari, nonne fractos, comminutoſque jamdiu Veterum Impiorum errores e cineribus excitas? Nonne Democriticorum errores iterum proponis? Nonne pro aeternitate materiae diſputas, & illam, Spinozae veſtigiis inſiſtens, velut ipſum Deum agnoſcis? Non ne animam ab hac coeleſti conditione deturbas, ut inde omnia poſt mortem a noſtro ſenſu abfutura confirmes?

Quae quidem dum homines perditiſſimi pronunciant abſurda, illud eſt ſane ridiculum, ſed animadverſione digniſſimum, quod de rebus graviſſimis, ac de animis praeſertim diſputantes plerumque inter ſe adverſis frontibus alius ab alio diſſentiant; nec vel latum unguem a diſtractis maximeque diverſis Veterum ſententiis abhorreant. Sciunt olim Democritum animi naturam deſcribentem ad familiares atomos confugiſſe, eoſdemque vel volucriores, vel ſubtiliores, veluti materiae florem, a craſſioribus ſejunctos conſtituiſſe. Norunr Zenonem eumdem animum velut ignem effinxiſſe, eum fortaſſe quem Prometheus terrena haec omnia praeterve-

ctus

ctus a coelorum adytis ſurripere auſus eſt. Non eos latet ab Ariſtoxeno harmoniam, a Xenocrate numerum, ab Empedocle & Critia ſanguinem, auram denique a Diogene & Anaxagora fuiſſe appellatum. Quare ipſa met opinionum varietas, quaſi liceret in re tanti momenti aeſtuantis ingenii Poetarum more habenas relaxare, poſteriori aevo etiam obtinuit, erupitque licentius impiorum hominum audacia, ac fraude, qui cum nominibus quandoque immutatis eadem revera, quae illi, delirantium ſomnia congeſſiſſent, etiam cum belluarum conditione ſe tandem accenſeri minime dubitarunt. Aſt quorſum hoc? niſi ut a ſe, ſi fieri poſſet, aeternorum ſuppliciorum metum excuterent? Grave ipſis videlicet, ac moleſtum, vindicem Deum, animumque eſſe immortalem a quo paenae repoſcantur pro ſceleribus ſempiternae.

Hujuſmodi ſunt, Adoleſcentes optimi, (mitto enim ea quae dubitanter prolata, haec commemoro, quae ſunt palam) hujuſmodi praecipua ſunt teterrima portenta, quae in iſtis venuſtiſſimis libris, ſeu ſcelerum ſentinis legenda vobis proponuntur; in quos ſi acerbiſſimo pro-

propemodum fato oculorum aciem olim conjiciatis, quanta vobis clades impendeat, ac plane inſtet, conſiderate.

At enim fortaſſe, quoniam non deſunt audaciſſimorum hominum patroni, damus, inquiunt, hoſce libros nonnullis erroribus ſcatere; at certe plura honeſte, ac vere, ſimulque religioſe prolata ſunt, quibus non tantum in litteris erudiri, ſed etiam mores liberaliter informare poſſimus. O ſpes hominum inanes! O conſilia diſſoluta ac perdita! Non enim diſſimulo, quin etiam aperte fateor, plura veritati, honeſtatique, quin etiam Religioni conſentanea ſaepius in illis contineri. Quid ita? Hoc moleſtius fero, hoc acerbius conqueror, hoc magis aetati veſtrae, Juvenes, fore periculoſum intelligo. Quin etiam illud adjungo, Scriptorum fallaciſſimorum perfidiam non in eo ſolum verſari, ut veritates plurimas cum majoribus erroribus permiſceant; niſi etiam quadam ſermonis ſuavitate demulceant, quo facilius hiſce Sirenum ſcopulis impingatis. Quae enim imaginum vis, quae troporum venuſtas, quae ubertas ingenii, quae verborum copia, quae denique artis lenocinia non occurrunt! Modo Epicurum imitantur,

tur, dum de rebus graviſſimis diſputantes per quoddam veluti floribus conſitum viridarium incedunt; Modo Speuſippum, dum blanda orationis feſtivitate, & conquiſito nitore in id inſiſtunt, ut Gratiarum Chorum tabulis conſignare velle videantur. Sed intus inſidiae ſunt, intus hoſtis eſt, intus periculum; quod eo magis timendum vobis paratur, quia ubi animus pravis erroribus illectus poculum hauſerit venenatum, nulla poſſit medicina ſanari. Ineſt videlicet in hominum mentibus infelix quaedam vitiorum foecunditas, & prona ad malum natura, quae citius cum in unoquoque noſtrum, tum in teneris adhuc mentibus exigua ſane, quae ſuperſunt, virtutis ſemina corrumpit. Quare niſi improbo, diuturnoque labore haec pretioſa veteris innocentiae monumenta excolamus, diligenteſque producamus; quid aliud niſi ſentes, ac tribuli paſſim germinent neceſſe eſt ad perniciem illorum ſempiternam? Si igitur corruptae jamdiu naturae fomites addamus, cupiditatibus ultro debacchantibus faces ſuppeditemus, ac litteratorum nomen, famamque aucupantes in depravatam ho-

rum librorum lectionem, quasi optimis alibi non abundemus, temere nosmet conjiciamus; sperabimus ne, ut mens nostra apum mores imitata, egregium libet nativae venustatis succum, & inter flores ampliſſima quaeque cum delectu colligat, quibus veluti nutrimentis educata se possit roborare, atque consistere? Ac non potius verebimur, ne, quae recte judicandi vi destituitur, recentis lasciviae deliciis miserrime capiatur?

Nolo, Auditores, rem invidiae plenam attingere; verumtamen non sum nescius viros innocentia spectatissimos, experientia rerum probatissimos non ab alio fonte vitiorum luem liberius in diem ingruentem repetere, quam ab hac praeposstera quidlibet temere legendi licentia, qua imberbes plerique juvenes allucinantur. Cum enim, ajunt, pessimis doctrinarum illecebris aliquis detineatur, certe cogitandi vis paullatim ex prava consuetudine corrumpitur; Ex quo deinde fit, ut eo vitae rationes, ubi animus consistit, actionesque omnes necessario conformet. Neque aliter se res habet. Ut enim graece ajunt, Μολυσμὸς ἦθη κακὰ ἡ ὁμιλία τῶν φαύλων, consue-

tu-

tudo malorum bonos mores contaminat.

Illud praeterea facile eſſet oſtendere inani prorſus, ac ridicula ſpe eos allici, qui, dum ejuſmodi lectioni operam navant, ſe magis in litteris profecturos eſſe confidunt. Sed quoniam magni momenti argumentum (1) alibi jam fuſius explicabo, non hic attingere neceſſe eſt; cum praeſertim unicuique perſpectum ſit, animum librorum corruptelis, ac coeno provolutum limpidis verae, germanaeque doctrinae fontibus difficillime poſſe irrigari.

Sed quid de doctrina ſolliciti, quae tamen adjutrix virtutis eſſe debet, non vitiorum comes? Pereant ſane litterae (ſi hoc pacto ſunt excolendae), ſine quibus poſſunt artes, poteſt hominum Societas conſiſtere; ſed moribus, ſed optimis inſtitutis, ſed Religioni Sanctiſſimae conſulatur, quibus ſublatis magna perturbatio vitae cõſequeretur, & magna confuſio. Haec omnia inſolens, ac teterrima librorum licentia conatur labefactare, & evellere. Huc inſurgunt, huc minitantur

(1) Vide Orationem IV.

ſcriptores improbi, ut ipſam Arcem Sion a fundamentis excutiant. Quod licet hi falſo ſperent, quia cuſtos eidem adſit vigilantiſſimus Moderator omnium Deus; ie acerbius eſt, ac magis dolendum, quod ſe nullo negotio rem auſpicato perducturos confidunt, ſi apud vos, Adoleſcentes, ſenſim prava dogmata locum obtineant, & vel primoribus, ut ajunt, labiis deguſtentur illorum ſemina, quae altius dein radices agere firmiſſimas oportet; vos praeſertim aggrediuntur; vobis oblitum veneno poculum propinant. Vident enim florentis aetatis ceream in vitium flecti naturam peſſimis ſe libentiſſime conſultoribus tradere; Ideoque pro certo habent injectam olim vobis errorum luem non poſſe dudum in otio conſiſtere, quin ſenſus tandem penitus animoſque corrumpat. Ita ſiquidem videmus ſulphureum ignem montium viſceribus abditum primum intus exardeſcere, tum fremere, latrare, mugitus horribiles ciere; hinc aeſtu altius debacchante ad ipſamet cacumina ſe attollere, latebris diſciſſis latius emergere, ac demum quaquaverſum in apertam flammam erumpere.

Quae

Quae cum ita ſint, initio perditorum hominum conatibus, atque conſiliis obſiſtite, ingenui adoleſcentes; ab horum anguium morſu, dum integrum eſt, cavete; quoniam, prout vidiſtis, & inſidioſe agunt, & teterrimum exhibent venenum, & vos potiſſimum aggrediuntur. Neque ab iis ſcriptis tantum, quae vel turpia, vel impia continent, abſtinete, prout humana, & divina jura praecipiunt; ſed a nonnullis etiam, quae aliqua ex parte minus integre olent, licet ob quamdam naturae imbecillitatem, invitis tamen prudentiſſimis aeque, ac ſapientiſſimis Religionis noſtrae Moderatoribus, publica nota non fuerint inuſta. Nolite eos imitari, qui dum illa in deliciis habent, ſinu fovent, atque amplexantur, Trojanorum dementiam imitari mihi videntur, temere, imprudenterque circum fatalis Equi molem plaudentium, feſtivoque apparatu eidem occurſantium, unde mox hoſtium phalanges, ardenteſque faces ad Patriae civiumque exitium erant erupturae. Sed potius in laudabili hac veſtra in litteris omnibus proficiendi animorum contentione ſanctiſſimorum hominum, ac doctiſſimorum exempla vobis ante oculos

ponite, qui, posthabitis errorum magistris, semper melioris notae, probatissimosque tantum libros, qui Diis volentibus passim occurrunt, sibi legendos esse duxerunt: Id praesertim animo statuentes, ut ab iis optima quaeque ad mores informandos, pietatemque fovendam colligerent. Horum igitur vestigiis insistite, adolescentes; Vix enim hac ipsa diligentia naturae pravitatem superabitis. Quod si vestrum aliquis tam expers consilij, tam parum de sua salute cogitans reperiatur, qui hujusmodi portenta in omni vitae cursu longe a se propulsare non audeat, quemque labes conscientiae, & periculi, quod est praesentissimum, magnitudo non moveat; At saltem moveant sanctissimorum hominum gemitus, qui nefariam librorum pestem latius jam serpere, nihilque intactum relinquere conquerantur; Moveant Sacrorum Antistitum querelae, qui hortatu, monitisque in hanc Christianae Reipublicae partem nimis jam laborantem quotidie diligentius incumbunt; Moveat summi Ecclesiae Universae Moderatoris vigilantia, qui teterrimos angues vineae Sabaoth tacite subrepentes, seque tamquam e latibulis in-

inferentes Coeleſti telo inſectatur; Moveant denique ipſorum Regum, ac Principum ſtudia, qui probe intelligentes,& omnem ſibi auctoritatem a Deo proficiſci, & a librorum licentia non minus Divina jura,quam regia oppugnari ſolere, totis viribus e Republica prava haec corruptelarum ſemina radicitus evellere conantur.

ORATIO SECUNDA

DE BONIS ARTIBUS

Non ad voluptatem, curioſitatemque, ſed ad communis Societatis bonum traducendis.

QUandoquidem ſummi Creatoris voluntate, naturæ legibus, ſapientiſſimorum hominum conſenſu comparatum eſt, ut quilibet in hoc Orbe terrarum non ſibi uni editum eſſe in lucem, ſed ad caeterorum etiam felicitatem promovendam cognitum habeat, atque exploratum; Ita inertis eſſet, atque inconſulti, ſi quis ea penitus aſſequi negligeret, quibus communi hominum ſocietatis bono poſſet pro viribus ſatis ſuperque conſulere. Quamobrem vobis gratulandum mihi eſſe video, Adoleſcentes optimi (vos enim potiſſimum ſpectat Oratio mea), qui vel inani divitiarum ſpe, vel falſis voluptatum illecebris, vel fictis imperitae multitudinis opinionibus minime decepti, quin etiam paternis plerique commodis ultro poſthabitis, probe intelligitis, omnia fortunae

nae munera minus valere ad veſtram, vel aliorum felicitatem comparandam; Ideoque ad verae domicilium ſapientiae alacriter confugitis, quae nec flammas, nec undas timet; Solius enim ſapientiae, ut inquit Iſocrates, poſſeſſio eſt immortalis σοφία γαρ μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον; qua vos freti & animum ad omnem honeſtatem ipſi erudiatis, & quo pacto caeteri deinceps erudiantur, oſtendatis. Hoc ſiquidem in cauſa eſt, quod cum hujuſmodi veſtrum conſilium mihi ſummopere commendandum videatur; tum illinc ſedulo perpendenti permoleſta viſa fuerit pernicioſa quaedam, quae obverſatur in diſciplinis aſſequendis ratio, & in quorumdam animis penitus inſedit, atque inveteravit ad Litterarum, Litteratorumque dedecus ſempiternum. Statuunt enim, & niſi verbis, re certe quidem confirmant, in Litterarum ratione percurrenda, in rerum ambagibus evolvendis, in Naturae arcanis inveſtigandis, nihil ſe praeter quamdam animi remiſſionem intendere; vel illud ſolum propoſitum habere, ut inſitae unicuique hominum diſcendi cupiditati aliquomodo ſatisfaciant; Quaſi nempe ab iis, ut ait Tullius, dele-

ĉta-

ctatio ſola peteretur, neque fructus oſtenderetur maximus, quem poſſent in communem uſum, lucemque proferre. Hanc igitur ut evellam ex animis profligatam, ac perditam ſtudiorum rationem, opinionemque fallaciſſimam tum ingenuis adoleſcentibus indignam, cum ſummo rerum omnium Opifici injurioſam, qui utpote perfectiſſimus, ac ſumme felix, felices pariter vult caeteros, & ab aerumnis, quoad fieri poſſit, remotos; Illud argumenti genus pro hujus diei celebritate pertractandum aggrediar; ut, quoniam Artes, Scientiaeque omnes ad ſummum dignitatis, gloriaeque faſtigium deveniſſe videntur, oſtendam, quo pacto non ad curioſitatem, delectationemque, ut plerumque fit, alendam; ſed ſummorum hominum veſtigiis inhaerentes ad univerſae hominum Societatis bonum ſingulas traducamus. Quare de re graviſſima dicentem, Auditores, quaeſo humanitate veſtra recreetis; agitur enim litterarum fructus ampliſſimus, quem qui negligit oppugnat omnium commune praeſidium, & quantum in ipſo eſt, diſturbat vitae ſocietatem.

Dum autem bonarum Artium, Diſci-

pli-

plinarumque omnium vim, poteſtatemque mecum ipſe reputo, intelligo, Auditores, me plus oneris, quam quod revera ferre poſſim, mihi temere impoſuiſſe. In tanta igitur rerum varietate, ne veſtra etiam abuti videar patientia, me conſultius facturum arbitror, ſi duplex inſtituam orationis genus, primum ſcilicet hodierna die de bonis Artibus, deinde de ampliſſimis Diſciplinis in poſterum, ſi integrum erit, diſputaturus. Nolim vero initio dicendi quis arbitretur, me vel in praeteriti temporis memoria ita novum, rudemque verſari, ut peregregios viros in omni doctrinarum genere facile principes extitiſſe ignorem, deque publica hominum felicitate optime meritos; vel me de induſtria eorum nomina, dignitatemque velle ſilentio praeterire, aut imminuere, ut nunc bonas artes, ampliſſimaſque diſciplinas colendi neceſſitas facilius conſequatur, perinde ac, qui humanae utilitati illarum ope conſuluerint, nequaquam praeluxerint. Non ſum neſcius Archimedes, Platones, Ariſtoteles.... Quis autem veteris, & memoriae noſtrae ſingulos poſſit enumerare? Non ſum, inquam, neſcius tanta omnes in-

ingenii gloria floruiſſe, ut praeter nominis celebritatem, quam jure merito ſibi vindicarunt, doctrinarum lucem, & commodum cum omni poſteritate adaequaverint. Quorum exiſtimationi, & in univerſum humanum genus promeritis tantum abeſt, ut quicquam detrahere velle videar, quin imo illud quantum potero voce contendam: Quod humanitatis in vitae conſuetudine, quod fidei in ſocietatibus conſtituendis, quod officii in amicitiis excolendis, quod induſtriae in rebus gerendis, quod ſolertiae in perficiendis, quod utilitatis in mercibus exportandis, in urbibus extruendis, quod commodi in Nauticae rei, in Agriculturae inventis, ac varietate, quod continentiae in moribus dirigendis, quod demum ſapientiae incredibilis in ferendis legibus, in populis gubernandis, in Regum auctoritate conſtabilienda, & ſanctiſſimae quoque Religionis noſtrae fundamentis, atque inſtitutis, ubique gentium, ac locorum propagandis, in dies mirifice oſtenditur; totum hoc quantumcumque eſt, quod certe maximum eſt, litterarum, ſcientiarumque ducibus, & auctoribus praeſtantiſſimis magna ex parte acceptum eſt referendum. At

At enim quis, propoſitis hiſce ſummorum virorum exemplis, non eos vituperet, qui inani tantum cognitioni, vel delectationi putant acquieſcendum? Num ſatis per eos publico bono proviſum? Nonne ad domeſticos uſus, ad leges explicandas, ad rerum ambages evolvendas, ad cupiditatum illecebras coercendas, ad animum curis relaxandum, firmiſſimis adhuc adjumentis, atque praeſidiis indigemus?

Nemo igitur mihi jure ſuccenſeat, ſi ſtudiorum rationem ingreſſuris quaſi facem praebere, finemque nobiliſſimum proponere conſtituerim, ut in tanta bonarum Artium, Scientiarumque amplitudine facile poſſint earum praeſidia ad omnem ſocietatem conferre.

Quod ut pro voto aſſequi poſſim, ad pulcherrimas Artes, primumque Poeſim quaeſo oculorum aciem convertite. Verumtamen cur ſquallido obverſatur vultu, luctum, moeroremque praeſeferens, quaſi hominum frugi, ac melioris notae conſpectum reformidet? Ea videlicet cum barbatulis quibuſdam unguento delibutis ſic agit, & quodammodo tacita loquitur: Siccine per vos decus priſtinum, ac glo-

ria

ria defluxit ; dum quae veluti Regina incedebam polo, Divumque conciliis ſemper intereram, Philoſophiae adjutrix, virtutum comes, vitiorum moderatrix; jam pudore genas ſuffuſa, veſtris choris, nugiſque, quaſi libidinum adminiſtra, cogor intereſſe, Heu profligatos, ac perditos mores! Vatum nimirum

Fuit haec ſapientia quondam
Publica privatis ſecernere, ſacra prophanis,
Concubitu prohibere vago, dare jura maritis,
Oppida moliri, leges incidere ligno &c.

Hinc apud Viros Principes, ac Reges ſummo fuerunt in pretio habiti, quibus Regnorum habenae, & Reipublicae univerſae ſalus committeretur; hinc *honor, & nomen divinis vatibus, atque carminibus venit*; hinc genus divinum, Deorumque interpretes habebantur. Vobis autem floſculos, lenocinia, inaneſque apparatus conſectantibus, & ludicra quaeque aucupantibus, eo me velut ad ima detruſam video, ut honeſtiſſimus quiſque vel ab uno Poeſis nomine abhorreat. Vere, Auditores, hoc pacto, & fortaſſe acer-

cerbius conqueri poſſet praeſtantiſſima haec facultas, eorumque licentiam acrius urgere, qui, dum Petrarcham imitari ſe jactitant, Puriſtarum nomine tantopere gloriantur. Abſtineant ergo, & penitus deſinant laſcivientibus rythmis, inanique verborum ſtrepitu incautas hominum mentes demulcere, vel potius corrumpere. Quod ſi hujuſce artis ſuavitate ſe captos fateantur, optimos vates tantum inſpiciant, & Davidicis praeſertim carminibus delectentur. Praeterea cur non etiam Homerum, qui Heroum geſta, vel Pindarum, qui Regum laudes, vel Empedoclem, & Aratum, qui naturae myſteria, vel Maronem, qui Agriculturam, vel Capicium, qui rerum principia, vel Aonium Palearium, qui immortalitatem animorum, vel celeberrimum Pope, qui noſtris temporibus hominum officia, vel Raſinium, qui Religionem ab impiorum conatibus vindicatam, vel Polignacum denique, qui Lucretii errores profligatos carminibus complexus eſt, non ad intuendum modo, ſed ad imitandum ſibi proponant? Cur non ea facultate ad morum diſciplinam, vitae praecepta altius defigenda, iterque ad virtutes amplec-

ten-

ctendas expeditum magis communiendum utantur? prout Medicorum ratio commendatur, qui ingratum medicinae saporem aegrotis dulcedine plerumque temperant. Sed de Poesi nimium fortasse quam par est.

Historiam modo expendamus. Piget, Auditores, hic ea commemorare, quae libens omitterem. Quid mehercule utilitatis a pulcherrima facultate in homines profluet ex tot Historiarum Libris, vel qui miseram crambem recoctam proponunt, vel circa vilem, patulumque morantur orbem, vel ex iis mendaciorum officinis ad eorum certe animos, qui honesta temporis avaritia nequaquam laborant, delectandos. Praedicant siquidem Veteres, & velut omnium ore Eloquentiae Princeps Tullius praedicat, Historiam praeteritorum temporum testem, lucemque veritatis existere, quam qui consulat, nihil non vere, nihil non integre dictum possit perspicere; praedicat vetustatis nunciam, praedicat vitae magistram. Haec sunt potissima Historiae munera, quae veritatem passim exhibet legentibus, virtutemque commendat. Et profecto, nisi praepostera scriptis inclarescendi

di cupiditas tantopere graſſaretur, non tam ſaepe ab hiſtoricis veritatem, vel imminutam, vel corruptam fuiſſe quereremur, in quo fortaſſe, ut alios omittam, Paulus Jovius, Poggius, Polidorus Virgilius non nihil peccaſſe videntur; neque aetas noſtra clariſſimis illis veteris memoriae luminibus Herodoto, Xenophonti, Polybio, Livio, Salluſtio, & noſtris hiſce temporibus, Baronio, Rollinio, Muratorio, Guicciardinio, quos honoris cauſa nomino, invideret; Qui cum nulli unquam labori pepercerint, nulloque in rebus geſtis deſcribendis partium ſtudio fuerint irretiti, ſummam idcirco ſibi laudem compararunt; & prout olim Phidias imaginem ſuam in clypeo Minervae a ſe fabricato incluſiſſe dicitur, ut a morte nobilitaretur; ita illi dum animorum, & conſiliorum reliquerunt imagines expreſſas ingenio, atque politas, non aliorum tantum, ſed ſuae quoque immortalitati inſervierunt. Horum igitur exemplo noſſent noſtri Homines, antequam publici quid juris fiat, improbe eſſe deſudandum, nonumque premi in annum oportere; Noſſent turpe eſſe, properantius Maecenatum ſpei decus, & nomen gratificari; ac praeſer-

ſertim noſſent, praeſtantiſſimos viros, quos antea commemoravi, non in eo tantum laboraſſe, ut mores hominum, Regnorum, Populorumque vices, & ingenia diligenter perſpecta ſcriptis exhiberent; ſed praecipuum ſcribendi munus illud, ex Taciti ſententia, ſemper prae oculis habuiſſe, ne virtutes ſilerentur, atque pravis dictis, factiſque ex poſteritate, & infamia metus eſſet; pro certo habentes fructum inde ampliſſimum poſteris profecturum, quos infelix hinc improborum exitus, fauſta illinc bonorum ratio, licet plerumque fortunae vicibus exagitata, ad virtutem facile alliceret. Ita ſiquidem memoriam rerum geſtarum ſedulo repetentibus haud raro accepimus contigiſſe, ut in rebus privatis, publiciſque adminiſtrandis mentem, ingeniumque cogitatione hominum excellentium conformarent.

Utinam, Auditores, non hiſce temporis anguſtiis premerer! Prout enim artium dignitas, & in humanum genus utilitas nullis eſt circumſcripta limitibus, vellem, ut per ſingulas veluti per patentiſsimum campum liberius excurreret oratio mea. Pingendi etiam, aedificia exſtruendi, caelandique artes nobiliſsimas in me-

medium proferrem, & inventas esse contenderem, non ut solum mirifica quaedam alienae industriae portenta inutiliter oculis inhiantibus deguſtemus, ſed ut eorum mores, rationeſque bonorum, qui exhibentur, ſaepius animo reputantes, omni contentione aſſequi enitamur. Praeſto quidem eſſet omnium loco Salluſtius, qui aperte fatetur Q. Maximo, & P. Scipioni, caeteriſque Viris Majorum imagines intuentibus vehementer animum ad virtutem incendi; quia videlicet ejus cerae, atque figurae aſpectu memoria rerum geſtarum occurreret, quibus ea flamma egregiis quoque viris in pectore creſceret, neque prius ſedaretur, quam virtus eorum famam, ac gloriam adaequaſſet.

Neque vero ipſius Artis Muſicae adjumenta praeterirem, quam quidem nonnulli ad permulcendas otioſorum aures, menteſque molles, & effoeminatas voluptate perfundendas inventam eſſe falſo arbitrantur. Compertum quidem eſſet omni antiquitate, ad luxuriantis ferociae impetus coerçendos, immanitatem naturae exuendam, moreſque barbaros leniendos eam ſummopere valuiſſe. Qua quidem in re, licet quae de Orpheo, & Amphio-

phione praedicantur commenta, eorum eloquentiae vi, poteſtatique plurimi tribuerint; nequaquam tamen probatiſſimi Viri defuere, qui non feras, lapideſque commotos, ſed homines agreſtes, non eloquentiae tantum praeſidio, ſed quoque fidibus, & concentibus ſuaviſſimis inſita ferocitate, duritieque exutos, & ad ingenii cultum, honeſtatemque fuiſſe compulſos affirmarint.

Haec autem, aliaque plura, quae hoc loco afferri poſſent, dum vel invitus omitto, oculos in caeterarum artium facile principem Eloquentiam conjicio. Qui vero quantique, proh Deus immortalis! ex hac in univerſos homines praeſtantiſſima facultate uberrimi fructus redundent neceſſe eſt! Cui autem arridet ad explendas animi cupiditates ejuſdem uti praeſidio, vel fraudes adhibendas, vel ſocios verborum ambagibus decipiendos, vel famam imminuendam, vel prava, inhoneſtaque, tamquam bona, imperitorum mentibus objicienda, num is eloquentis nomine glorietur, ſi neque inter honeſtos homines, neque adeo inter vivos merito reputabitur? Hanc profecto praeter caeteras, ni fallor, praeſefert utilitatem maxi-

maximam Eloquentia, ut tamquam animorum dominatrix veritatem altius defigat, & vel ab invitis admirationem extorqueat. Jam vero quid levius, ac dementius fingi poteſt, quam floſculos tantum perſequi, ornatumque verborum, aut de rebus ineptiſſimis diſſerere? Videant, videant, quos verae gloriae laus tangit, & communis utilitas afficit, pleroſque hominum ea mentis acie non pollere, ut concretam poſſint errorum caliginem ipſi perrumpere. Cur igitur eloquentia freti nullis praeſtigiis tectam, nullis involucris obductam, nullis latebris abditam veritatem renuant exhibere? Ornate, & copioſe dicere optimum eſſe non inficior. Verumtamen inepti, ſeu, ut ait Cicero, tardi hominis eſt rivos conſectari, fontes rerum non videre. Si enim magnis, plurimiſque homines calamitatibus quaquaverſum laborare nemo non videt; ſi hinc vitiorum colluvies, armata veluti facibus cohors, irruit; ſi cupiditatum, libidinum, ſimultatum, ambitionis illecebrae, peſtes, perniciesque virtutis, animos invadunt; ſi illinc corporis morbi, neque minus fortunae vices graſſantur; ſi huic cum ſumma rerum omnium

inopia eſt conflictandum; Illum improborum injuriae miſerrime torquent, vexant, dilacerant; alium immaturo filii, vel conſanguineorum fato pene confectum triſtitia conſpicimus; ſi alius vel populum dolet pro libidine agere, vel mores civium in dies corrumpi, vel modum licentiae nullum imponi; ſi caeteri demum, prout uniuſcujuſque ingenium, ac res poſtulat, mala conqueruntur, quibus extra mortalium uſum, ſocietatemque dumtaxat careremus; quid acerbum magis, quid minus ferendum, quam Eloquentiam, prout olim, vel ad luti, vel ad mendacii laudes contexendas, e ſanctiſſimis illis, ubi conſidet, penetralibus educere? Nonne potius eſſet prius mores hominum, rationeſque penitus ediſcere, & dehinc tot undique graſſantibus morbis quaſi medicinam adhibere? Nonne laudabilius doctiſſimos Juriſconſultos imitari, qui paſſim in hac Urbe verſantur, & per eam eloquentiam, ut ait Tullius, fraudes hominum ad perniciem, & integritatem ad ſalutem revocare? Nonne ſapientius effraenatos homines moderari, res novas molientes continere, perculſos metu recreare? Nonne conſultius felici-

ta-

tatem recto, honeſtoque ſitam proponere, labori, ac diligentiae hominum incitamenta addere, a vitiis acrius amovere, virtutemque bonorum fontem in animis defigere? Nonne omnium ſaluti accommodatius, miſerorum civium cauſas agere, eorum opes vindicare, adverſariorum crimina refellere, audaciam comminuere, & proſtratum, ac jacentem in novam ſpem libertatis erigere? Nonne denique magnificentius, ac praeſtabilius, ingenia adoleſcentium ad bonas artes acuere, ab ignavia torpentes avertere, iter expeditum magis communire, haerentes, nutanteſque quaſi manu ducere, & ad intermiſſa quoque Litterarum ſtudia tempeſtive repetenda vehementius allicere, dum is, ad quem ſpectat, Oratoris perſonam pro dignitate ſuſtineat?

Faceſſant igitur ſi qui ſunt tam parum de ſua, ac de aliorum ſalute cogitantes, qui ea negligunt ad caeterorum uſum conferre, qui fructum hunc ab iis repetere prope ſuo jure poſſunt. Pudeat quoque hujuſmodi homines Romanos, Graecoſque Annales pervolventes; pudeat iterum, ac ſaepius repetentes hinc Romanae Reipublicae lumina Antonios, Catones,

Scaevolas, Cicerones, Quintilianos; illinc Graecorum praesidia firmissima Demosthenes, Pericles, Alcibiades, Eschines, Isocrates, alioſque sexcentos, qui eam Eloquentiae vim, quam improbo sibi labore comparaverant, non ad voluptatem tantum, vel ad ostentationem contulerunt, neq; in tenebris turpiter abditam delitescere passi sunt, sed per eam vel Adolescentium institutioni, vel Civium saluti, vel Patriae libertati nullo non tempore consulentes ad extremum usque vitae spiritum publico bono se devoverunt.

Horum itaque exempla vobis jam nunc ante oculos ponite, Adolescentes optimi, quos ingenio pollentes litterarum dignitate, ac praestantia illectos video. Incumbite, quoniam suis illecebris vos trahit sciendi cupiditas, in hoc bonarum artium studium; sed vanam abjicite curiositatem, voluptatemque nullum unquam fructum consequuturam. Ita, ridiculis, inanibusque rebus posthabitis, gravia, & utilia consectamini, quibus tum vobis, cum aliis pro virili parte consulere possitis.

ORA-

ORATIO TERTIA

DE AMPLISSIMIS DISCIPLINIS

Non ad voluptatem, curioſitatemque, ſed ad Communis Societatis bonum traducendis.

CUm ſuperiore anno, Auditores, totus in eo eſſem, ut eos, qui ſolam in diſciplinarum ſtudiis delectationem reſpicere ſolent, vituperaturus, de bonis Artibus in commune bonum traducendis diſputarem; me ex hoc ipſo loco pollicitum eſſe memini alia Oratione ea complexurum, quae ad penitiores diſciplinas pertinerent. Ita ſiquidem planum omnibus fore ſperabam, quam is male rei tum publicae, cum privatae conſulat, qui vana, nihilque profutura in iis aucupatur, unde poſſit vel in ſe, vel in Patriam, vel in omne genus hominum uberrimam bonorum ſegetem facile comparare. Verumtamen re plane perſpecta provinciam plenam aleae, ac ſalebroſam me fateor ſuſcepiſſe. Cui enim de penitioribus Diſciplinis palam diſputanti non ſeſe ſtatim offerat earum gravitas, copia,

pia, atque amplitudo? Quem non a ſuſcepto conſilio deterreat Auditorum dignitas, ac ſapientia, apud quos, ingenii acumine, & minime vulgari eruditione pollentes, fortaſſe arrogantis eſt de optimo ampliſſimarum Diſciplinarum uſu publice diſſerere? Unde fit, quod pro dignitate dicenti exigua laus, erranti nulla venia proponitur. Cum autem ea humanitate, qua ſemper me dicentem excepiſtis, ac recreaſtis, nihil mihi ſit certum magis, ac exploratum, opprimi me onere officii malo, quam ſemel ultro ſuſceptum, vel propter metum, vel propter negligentiam turpiter abjicere. Illud praeterea mihi in mentem venit, uti apud omnes conſtat, magis incommodi, calamitatiſque publicae in hominum ſocietatem proficiſci, niſi ejuſdem bono ampliſſimas traduxeris Diſciplinas, quam ſi optimas Artes omnino neglexeris. Quae quidem cogitatio cum una ſatis valeat apud me, vehementerque impellat, ut hoc argumenti genus, quo fortaſſe nullum eſt gravius, pertractandum aggrediar; Illud reliquum eſt, ut veſtra, Auditores, in me audiendo benignitate videar confirmatus, voſque, ingenui Adoleſcentes, ea, quae dictu-

ſturus ſum, etiam, atque etiam conſideretis.

Verum ne longius, quam par eſt, ſermonem proveham, in dicendo limitibus memet conſulto circumſcriptum volo; ut quoniam ſingulae Diſciplinae Orationem quodammodo abſorberent, nonnullas tantum breviter attingam. Et primo rem Medicam ad felicitatem hominum plurimum conferre, qui non videat arbitror neminem. Medici enim totam naturam recludunt, ejuſdemque interdum ſeſe occultantis magnificas opes oſtentant. Haec autem facultas, & contemplationem, quam *theoricam*, & uſum, quem *praxim* appellant, tota complectitur. Soleo quidem ſaepius mihi ante oculos ponere, Auditores, vehementerque eorum ingenium admirari, qui ſeu in rationibus ſubducendis apprime verſati, ſeu experientia innixi velocitatem ſanguinis dimetiuntur. Neque minus is commendatione dignus videtur, qui totus in eo eſt, ut ad trutinam revocet muſculorum actionem, & vim humani cordis aſſequatur, caeteroſque praeterea effectus, qui a partium irritabilitate in hac animali machina producuntur, ſedulo contempletur. Num ve-

vero rebus hiſce inveſtigandis acquieſcentes optime de re medica, deque humana Societate meritos judicabimus? Introſpiciant morborum origines, ac naturam, humani corporis latebras, abditoſque receſſus ſolertiſſime percurrant: non reprehendo; quin etiam induſtriam laudo. Aſt, ſi res bene attendatur, nonne conſultius erit, opportunis, validiſque in dies ſtudere remediis, quibus hominum valetudini minus dubitanter conſulatur? Ita ſane ſumma cum laude excellentium virorum Ippocratis, & Galeni veſtigiis inhaererent, quos memoriae, ſcriptiſque proditum eſt, ſemper experientiam rerum magiſtram in praeſidium vocaſſe, & ſic in curandos morbos felicius incubuiſſe.

Hoc revera in more poſitum habuerunt Graecorum antiquiſſimi, incredibili judicio, ac ſapientia praediti, qui voluerunt, ut in Aeſculapii Templo tum ea morborum lues, quae frequentius graſſaretur, inſignibus incideretur notis, cum ea potiſſimum remedia, quorum vis apprime perſpecta, experimentis quoque foret innixa. Quo videlicet compertum eſſet, quo pacto ſibi quiſque accedente morbo conſu-

ſuleret, omneſque intelligerent illos ad praxim rei medicae dilatandam omnino intentos, de theoretica parte perficienda vel parum, vel certe minus ſollicitos videri contendiſſe.

Adeſt Philoſophia omnium Artium altrix, & magiſtra, cujus tanta eſt amplitudo, & utilitas, ut caeterae ſine hac facultates omnem vim, ac robur facile amittant. Qui enim fiet, ut in ſingulis diſciplinis proficias, niſi in qualibet re rationes cogitando, ad veritatem ex Democriti puteo educendam, invenias? Hinc illum appellat Philoſophum Tullius, qui ſtudeat omnium rerum humanarum, & divinarum vim, naturam, cauſaſque noſcere, & omnem recte vivendi rationem tenere, ac perſequi. Cum autem praecipuum munus ejuſdem ſit veritatem ſedulo inveſtigare, & pro viribus aſſequi, quis non reprehendat quoſdam Dialecticae cultores, qui quodam cavillandi pruritu compulſi & animum ſuum torquent, atque conficiunt, & ſingula, de quibus diſputant, tenebris, & ſophiſtarum argutiis involvunt? Quis non iis iraſcatur, qui captioſas omnino quaeſtiones proponere ſolent, quas reſolvere difficilius fortaſſe ſit, quam olim fue-

fuerit in Gordii loris extremum, in ſcirpo nodum, in Cretae Labyrintho exitum invenire? Quis non ſecum animo doleat, leves atque ineptiſſimas a nonnullis inſtitui diſputationes, quae cum Arabicam luem paſſim redoleant, hanc aetatem ſaluberrimis doctrinae fontibus irrigatam, ſtudiiſque optimis florentem maxime dedecent, ac dehoneſtant. Abſint ergo ab Athenaeis, atque Academiis haec inſcitiae veteris monumenta; exulet omnis vocum ambiguitas, & cavillandi ſcabies; inutiles vero quaeſtiones, tanquam luxuriantes in agro ſuccreſcentes herbae, reſecentur; Unaque vigeat elegantior, & uberior facultas, quae fauſta hac tempeſtate a ſubtiliorum Dialecticorum dumetis liberioris ad campi revocata ſpatia, novoque cultu decorata quodammodo geſtit, & ad uſum utilitatemque nativam copiam exerit, atque oſtentat. Hoc enim pacto unuſquiſque in hac, qua urgemur, vitae brevitate animum ad optima tantum, & utiliora perſequenda ſemper adjiciens vitali quodam verae Philoſophiae ſucco, & nutrimentis ſe ali ſentiet, ac roborari.

Quod autem majoris momenti, ac robo-

boris eſt, Metaphyſicam, cui caeterae Philoſophiae partes quodammodo famulantur, conſideremus; Neque vero ullum eſt tam eximium dicendi genus, quo quis utilitates maximas hinc in homines profecturas dumtaxat enumerando aſſequi poſſit. Fateor tamen, Auditores, me non mediocriter iis ſuccenſere, qui aliquo mentis acumine praediti, niſi impia, ac falſa, inepta certe, vel ab humanis uſibus aliena acriter inquirunt. Quid autem hic Ethnicorum induſtriam, rationemque imitandam propono? Memorem ne Platonem Divini nomine tantopere commendatum, qui dum intento animo graviſſima quaeque cogitabundus inſpiceret, in id potiſſimum incubuit, ut praeter ſcientiam morum, Animam ſpiritum eſſe immortalem, Deumque exiſtere confirmaret? Memorem ne Tullium, quem de maximis rebus differentem nemo ſatis admirari, ne dicam aſſequi dicendo poſſit? E cujus ſinu tot prodierunt praecepta, tot aurea ex ingenio volumina, quot ad immortalitatem plane conſcripta ſunt, effluxerunt. Tu certe, Sapientiſſime Cicero, licet infinito forenſium rerum labore, ambitioniſque occupatione

ne diſtentus, de juris naturalis fundamentis egregie diſſeruiſti, tu firmius Reipublicae jura, tu mutua Civium officia, tu amicitiae leges conſtituiſti, tu ſaluberrimae politices regulas ſanxiſti. Quo quidem, Auditores, ſatis vir ampliſſimus caeteris videtur conſuluiſſe, & eximium gravioribus diſciplinis operam navantibus exemplum ad imitandum reliquiſſe.

Verumtamen oh rem calamitoſam, ac lacrimis excipiendam! Quid? Cum iis verſemur potiſsimum temporibus, quibus Atheorum, Scepticorumque copia furentis inſtar agminis tanta debacchatur, cum graviſsimas veritates oppugnat, cum juris naturalis, Religioniſque fundamenta conatur evellere, num remiſsius agentes videamur? Nonne opportunius eſſet gravioribus adhuc argumentorum ponderibus, licet optima utamur cauſa, atque perſpecta, nonnullorum calliditatem, pravitatemque refellere? Utinam plures hac de re ſolliciti in arenam deſcenderent! Non enim videremus mortalium perditiſsimos Democriticorum argumenta repetentes, vel Epicuri dogmata inſtaurantes, vel Ariſtotelem pro aeternitate materiae diſſerentem vindicantes.

De-

Desinerent tandem aliquando praeruptae audaciae homines, cum alia, tum praesertim summi Entis Naturam, & vim oppugnare.

Neque vero contemnendi sunt fructus, quos res Physica sibi vindicat, dummodo ad alienum commodum ejusdem praesidio utamur. Pergrata quidem est, Auditores, insectorum historia (id unum hic attingam), quae quidem infinita naturae objicit spectacula. Quid pulchrius, quam artem illam admirabilem intentis oculis intueri, qua tot partes omnino inter se diversae mirifice coalescunt? Quid delectabilius, quam perspicere humores eosdem ad varios penitus usus in iisdem animantibus destinari? Ita ne vero? Nonne mehercule opportunum magis humani corporis abdita inquirere, quod plures Anathomici, iidemque Philosophi Australibus regionibus comparandum jure merito fassi sunt? Quare eorum labori erit praecipua laus tribuenda, qui in belluarum sectionem, earumque latebras investigandas, ob eam, quae illis cum nostris corporibus intercedit affinitatem, incumbunt.

Cum autem Physicam experimentis in-

nixam nomino, quis egregios plane viros de praeclariſſima facultate, atque adeo de hominum ſocietate optime meritos animo non reputet? Adeſt Reaumurius, qui totam periculorum ſcientiam ad ferri, chalybiſque naturam diligenter inquirendam magna cum Artium utilitate potiſſimum contulit; primuſque noſtra hac temſtate illud aggreſſus eſt, ut homines rite edoceret, quo pacto illi eadem phyſica, naturalique hiſtoria ad amplificandas, perficiendaſque Artes commode uterentur. Quid vero de iis dicam, qui ejuſdem facultatis praeſidio in agriculturae inventis, vel inſtaurandis utilius, vel elegantius parandis inſudarunt? Adeſt Haleſius, quem vegetabilium *Statices* auctorem vulgo appellant, in terrae fructibus inveſtigandis diligentiſſimus. Adeſt Duhamelius, adeſt novae methodi Auctor ad agriculturam ſpectantis. Qui omnes profecto Artem illam eximiam, quae in experimentis capiendis verſatur, vel ad agrorum cultum, vel ad reliquas Artes laudabili contentione traduxerunt. Quem vero praeterit Boyleus, quem profecto ejuſdem facultatis Parentem merito ſuſpicimus, ac veneramur? Quem Boerhavius inter Phyſicos celeberri-

mus,

mus, Chymiae inſtaurator, quam in rei medicae praeſidium, atque incrementum tam utiliter contulit? Quem fugit recentior Ippocrates Sidenhamius? Quem pariter memoria hac noſtra Medicorum facile Princeps Hallerus, cujus tot, ac tam praeclara ſuppetunt inventa ad Phyſicen, vel Anathomen, vel naturalem omnem hiſtoriam pertinentia, quibus ad rem medicam perficiendam, atque illuſtrandam laudabiliter uſus eſt; ut haec facultas, quantum fortaſſe praeſtantiſſimis illis vetuſtae aetatis ducibus, ac parentibus, tantum ſe illi nunc debere omnium ſuffragio fateatur. Praeterea nihil hic commemorabo mirifica vitae ſubſidia, Machinas videlicet, a quibus nemine diſſentiente fructus ampliſſimi proficiſcuntur. Has vero perficere, & accurate, diligenterque effectuum menſuram, rationeſque penitus aſſequi, aliaque ejuſmodi commoda, nonne ab ea, quae phyſicis experimentis innititur, facultate ſunt repetenda? Nam ad Matheſim, quae longius quodammodo eas reſpicit, nequaquam ſatis eſt confugere.

Nihil dicam de Herbarum ſcientia, quam Botanicam appellant, quae fortaſ-

ſe dumtaxat vocabulorum lexicon, ſeu, prout aliis arridet, adhuc nomenclatura quaedam pro multiplici earumdem herbarum vi, ac natura poteſt appellari. Cui ne quidquam ex induſtria detrahere velle videar, non inficior, quin etiam libenter commemoro, & nonnulla hac de re publici juris facta eſſe ſummorum Virorum monumenta, novoſque cum alibi, tum in Italia hortos, ut ajunt, Botanicos in dies inſtrui, ad doctorum hominum commodum, & ſtudioſae juventutis eruditionem minime contemnendam. Qua de re egregium ſane Opus, quod juxta ſyſtema Turnefortianum nuper ſplendidiſſimis typis fuit commendatum, plantarumque rariorum tabulis magnifice exornatum, procul dubio caeteris palmam praeripuit. Neminem autem latere poteſt, hanc tantopere vitae noſtrae utilem, ſed quibuſdam veluti tenebris adhuc obductam facultatem eruditorum ſolertiam non mediocriter poſtulare. Atqui o improvida quorumdam conſilia! Nihil induſtriae, laboris, ſedulitatis omittunt nonnulli, ut quo pacto ſuccus in plantis diffluat, eaſque alat, diligentiſſime aſſequantur, & ut quam partem in ve-

vegetatione promovenda folia ſibi vindicent, aequa lance expendant. Negligunt vero *ſcire poteſtates herbarum, uſumque medendi*; in hac tanta ſcilicet plantarum paucitate, quarum ad corporis incolumitatem aliquis uſus comperiatur, negligunt, inquam, experimenta ſuſcipere ad rectam illarum rationem tandem aliquando conſtituendam, negligunt pro viribus contendere, ut nova earum ope Medicinae remedia addantur.

Quod adhuc praetermittere nullo pacto poſſum, illud eſt, Auditores, quod ita nonnulli aeris naturam ſibi contemplandam proponunt, ut in aere ipſo quodammodo piſcari videantur. Quid quod Athmoſpherae altitudinem tam ſaepe dimetiuntur? Quid quod elaſticitatis cauſas in aere tantopere inquirunt? Quid quod aerearum particularum figuram ſtudioſe perſcrutantur? Licet haec contemnenda non ſint, nonne per veſtram fidem magis ad rem foret planius dignoſcere, qua vi aer in noſtrum Corpus agat, quoſque effectus plerumque producat? Quod quidem rerum Phyſicarum cultores non ſatis videntur hactenus diremiſſe. Nonne utilius varietates illas aſſequi, quas in

animali oeconomia ſolet idem procreare? Siquidem vices, & incommoda, quibus humana vita obnoxia, hinc potiſſimum exoriantur neceſſe eſt.

Quid tandem ab ipſis Mathematicis non ſperandum, Auditores, dummodo ad vitae uſus ſtudia, laboreſque ſuos convertant? Id Marcus Tullius ipſe aſſerere non dubitavit, qui Libro tertio de Oratore, poſtquam affirmavit, illos, *qui Mathematici vocantur in ſumma obſcuritate rei, recondita in Arte, multiplici, ſubtilique verſari*, ſtatim addit: *Quo tamen in genere ita multi perfecti homines extiterunt, ut nemo fere ſtuduiſſe ei ſcientiae vehementius videatur, quin quod voluerit conſequutus ſit*. Ex quo patet nullum fructum tam amplum exiſtere, quem non ab accurata, vigilique in rebus mathematicis ſolertia, jure optimo ſperare poſſimus. Quapropter ſi Hugenius, aliique tanta cum laude, atque utilitate Matheſim ad machinalem ſcientiam, ſeu Mechanicam, contulerunt; ut hinc Horologiis, quorum dumtaxat nomen commodum ſatis declarat, divina quaedam acceſſerit perfectio; Si Joannes Bernoullius huic ſtudio deditiſſimus ta-

talem navibus ambitum ineſſe juſſit, quo iis vel minimum maris fluctus obſiſterent; Si Eulerus demum hoc tempore celeberrimis illis, quas edidit, Formulis ad Tubos Opticos perficiendos Dolondio praeluxit; videant, quaeſo, noſtri homines nequaquam ſibi hiſce inventis acquieſcendum; ſed facultatem praeclariſſimam latius, ac vehementius in omni Arte Phyſica, atque Aſtronomica adhibendam, a qua praeſertim Nauticae rei, qua hominum Societati vix utilius quicquam invenias, decus omne pendet, & incrementum. Revera meritis quippe laudum praeconiis Galilaeum commendo, clariſſimum recentiorum temporum lumen, cum primum inſtrumenti illius celeberrimi, Teleſcopii videlicet praeſidio novos Coelos detegit, ac contemplatur; Summopere admiror, cum ignota adhuc aſtra, Jovis ſatellites, explorat, atque intuetur. Cum vero praeclare omnia ab illo inventa eo tradu&ta intelligo, ut ad maximum marinae longitudinis inveniendae problema explanandum praecipue conferant; qui non magis admirer, magiſque ejus exemplum imitandum proponam? Quae enim Oceani nullis pene finibus circumſcripta

ſpatia impervia, nec permeanda olim Nautis habebantur, ea nunc hi libere, ac tuto pervaduut. Quis Hallejum etiam incredibili penitus labore, ac infinita numerorum ſupputatione novam methodum divinandi Cometas edocentem non laudet, atque ſuſpiciat? Cui vero non probetur magis eximia illa ejuſdem diligentia, qua declinantis Magnetis lineam tam utiliter invenit, ut, quemadmodum ſcriptor egregius inquit, libentius profecto inventum hoc Nautae ſuſceperint, quam olim fabuloſum Caſtorem, ac Pollucem reſpexiſſent?

Neque minus Newtonum admiror, vel primum *anathomen* quandam in luce conſtituentem, animiſque Philoſophorum perculſis novum exhibentem ſpectaculum, ac ſplendidiſſimum, vel Orbis terrae figuram deſignantem, vel mundanum illud Attractionis ſyſtema proponentem, meque ejus ingenii laudibus contexendis imparem eſſe palam profiteor. Aeque vero, imo etiam magis commoveri me ſentio, dum ad patriae bonum ingenii praeſidia referentem inſpicio. Quid tam novum quorundam ſententia, quam Calculum, & Analyſim ad Monetalem offici-

ficinam utilius componendam adhibere? Newtonus adhibuit, compoſuit. Quid tam incredibile, quam Geometram ſilentio, vel Coelorum aditis pene latentem, praefectum ejuſdem officinae conſtitutum in novum, optimumque ordinem rem pecuniariam redigere? Redegit. Negotium auſpicato perducere? Perduxit; eo ſiquidem fructu, ut maxima nummorum vis univerſa ſuffragante natione ejus conſilio, induſtria, ac labore in aerarium devenerit.

Demum, ut hoc etiam coronidis loco attingam, ſi hinc, atque illinc elegantiſſima obverſantur oculis aedificia, quae non vitam hominum, ſed aeternitatem ipſam reſpicere videntur; nonne celeberrimo omnium Vitruvio intelligimus in primis acceptum referri oportere? Qui ſcilicet eximiae, qua pollebat, arti aedificia firmiter conſtruendi, voluit, ut facultas Phyſica, ac Geometrica etiam accederet; ut unuſquiſque hinc quoque cognoſcat, nihil eſſe in Artium, Scientiarumque multiplici varietate, atque amplitudine, quod aliquo pacto non poſſit, ac debeat in communem uſum, felicitatemque conferri.

Sed

Sed ante quam Orationis vela contraham, ignoſcite quaeſo cum veteris, tum noſtrae memoriae Duces, Auctoreſque facultatum omnium celeberrimi, quorum vel laudibus detraxi, vel nomina, aut praeclara inventa praetermiſi. Fateor enim me hiſce limitibus circumſcriptum vel invitum praetermiſiſſe. Sed quoniam ingenio pollentes toti in eo fuiſtis, ut ſtudia, laboreſque veſtros non ad inanem cognitionem, curioſitatemque, ſed ad publicum bonum converteretis; veſtri Nominis gloriam & praeſentes veneramur, & certe poſteritas alet, aeternitas intuebitur. In hos igitur oculorum aciem defigite, Adoleſcentes optimi, & quoniam ad haec Gymnaſia frequentes conveniſtis, ut omnigena eruditione, & penitioribus facultatibus imbuamini, hos tamquam omnis honeſtatis ſuaſores, ingeniorum lumina, ſtudiorum faces, incitamenta virtutum reſpicite, ac contemplamini, eorum ſcripta ſedulo perlegite, ſtudiorumque rationem aſſequimini. Contendite eorum praeſertim labores imitari, quos de univerſa hominum ſocietate optime meritos admiramur; ſique ulla etiam vos tenet in ſtudiis perſequendis verae Gloriae

cupi-

cupiditas, cui fortaſſe inhiatis, utpote quae noviſſima inter homines exuitur, nunc, & poſthac totis viribus in eam partem incumbite, quae publicum reſpicit bonum, ac felicitatem; ſiquidem, ut ipſe Cicero fatetur: *Gloria eſt illuſtris, ac pervagata multorum, & magnorum, vel in ſuos Cives, vel in Patriam, vel in omne genus hominum fama meritorum.*

ORATIO QUARTA

DE MORUM SANCTITATE CUM DOCTRINAE LAUDE CONJUNGENDA.

AMplitudinem, varietatemque disciplinarum omnium hinc sedulo reputanti mihi, Auditores, vestram illinc, Adolescentes optimi, in iis assequendis contentionem, nullis perfractam laboribus, nullis rerum ambagibus praepeditam, nullis difficultatibus imminutam intuenti, occurrit profecto non modo maximum laetitiae, tacitaeque voluptatis argumentum; sed ea etiam certissima spe, & cogitatione delector, fore ut in posterum illam, quam tantopere unam intenditis, disciplinarum laudem cumulatissime assequamini. Quem enim non rapiat expressa illa industriae, vigilantiae, & alacritatis indicia, quae vultu, & oculis praeferre non dubitatis? Quis non admiretur incredibiles animorum motus, vividosque ingeniorum aestus, quibus incensi, atque inflammati celeriter antecellere omnibus litterarum gloria praeoptatis?

tis? Quis non vere jucunditatem animi ſui pro munere officii dicturus expromat, cum frequentiſſimum coetum, florem videlicet Juventutis ſuſpiciat, eo omnes ingenii nervos intendere, ut ad doctrinarum faſtigium perveniat? licet paucorum ſit ſacra adire limina, atque auguſtiſſimum illud domicilium attingere; quod iter ſane longum, ac ſalebroſum, ſpinis, tribuliſque conſitum earumdem cultoribus oſtentat. Conſilium hujuſmodi veſtrum non modo ipſemet probo, Adoleſcentes, quin etiam vehementer laudo, & vobiſcum gratulor quam qui maxime. At enim huccine omnes labores veſtros evadere, huccine parentum vota, huccine patriae voluntatem, huccine praeceptorum diligentiae finem, huccine veſtram felicitatem dumtaxat pertinere arbitramini, ut ampliſſimam litterarum ſegetem colligere poſſitis? Nonne potiori jure in eam partem vobis incumbendum judicabitis, quae graviſſima eſt, quaeque morum reſpicit diſciplinam? Pereant ſane (tantam avertant Superi calamitatem) pereant Litterae, occludantur Gymnaſia, incendantur omnia doctorum virorum monumenta, bonarum Artium, ac Diſcipli-

plinarum nomen ipſum deleatur, ſi aut in doctrinarum poſſeſſione unum, ac praecipuum adoleſcentium munus ſitum eſt, aut illarum cauſa de vitae innocentia minus ſolliciti, diligenteſque impune videamur? Quamquam non hoc pacto neglectae morum innocentiae litandum, Auditores, quae triſtis, ac queribunda non doctrinam, quae ſibi ſoror eſt amantiſſima, adjutriceſque manus porrigit, ſed quorumdam ea turpiter abutentium perverſitatem incuſat, qui non ſolum unam putant ab altera poſſe ſejungi, ſed etiam prae doctrinae praeſtantia Sanctiſſimas vivendi leges, ceu leve quoddam, aut ab inſtituto prorſus alienum contemnunt. Pergite ea, qua coepiſtis, animorum contentione in litterarum paleſtra, Adoleſcentes, nihil obſto; palmam caeteris praeripere contendite, honeſtum duco. Aſt tunc vos operae pretium facturos confirmo; cum morum ſanctitatem una cum doctrinae laude conjungendam eſſe ſtatueritis. Quod quidem Argumenti genus Juvenum ſtudiis hodierna die proluſurus ſumma voluptate pertractandum aggredior, Auditores. Licet enim in eo nihil novi fortaſſe ſit, quod teretes quorumdam

dam Atticorum aures demulceat ; eam tamen praeſefert utilitatem maximam, qua a nobis publicae illorum inſtitutioni devotis fluxae adhuc aetati , atque imbecillae ſatis ſuperque conſulatur.

Enim vero ſi ipſo Orationis limine vel leviter Majorum inſtituta percurramus, Auditores , ſi hiſtoriarum monumenta , ſi Sapientium Virorum oracula conſulamus , ea paſſim obverſantur omni antiquitatis memoria ſanctiſſimis firmata legibus inſtituta , quae praeſertim morum diſciplinam ſpectabant. Occurrunt Egyptii , qui ſacrarum Religionum Praeſides, atque Antiſtites habiti ſunt . Occurrunt Perſae , qui eas morum regulas , quas popularibus ſanciverant , vel ipſis Regibus praeſcribi voluerunt . Hinc Lacedaemones , quorum ob nimiam in inſtituendis pueris ſeveritatem patientiae fama adhuc celebratur . Illinc Athenienſes adeo de probitate ſarta tecta cuſtodienda ſolliciti , ut Socratem , nonnulla fortaſſe liberius de Diis , ac Religione juvenes edocentem , indicta cauſa ad mortem compulerint . Et quoniam ficta,& vana diuturnitate extabeſcunt , vera autem una cum ſaeculis , aetatibuſque inveterare videmus ; ita quae

ab

ab illis gentibus, doctiſſimiſque viris tradita fuerat, apud Romanos aequiſſimo jure laudabilis obtinuit conſuetudo, ut non ſolum leges, quae quidem ſine moribus nihil proficiunt, ſed Cenſorum diligentia in vindicandis criminibus verſaretur. Cum autem omnes illi, ſi Lacedaemones excipias, ea praeſtiterint litterarum fama, eoſque omnibus diſciplinis inſtructos viros nobis reliquerint, quos potius admirari, quam imitari poſſimus; quid turpius, quam ab eorum ratione abhorrere? Proh Deum, atque hominum fidem! Ergo illi, licet falſo Numinum cultu decepti, tenebris, caeciſque nubibus obducti, probitatem potiſſimum coluerunt; nos Sanctiſſimae Fidei lumine colluſtrati, rebuſque optimis inſtituti rem tanti momenti negligemus? Illi in omni litterarum genere facile Principes primas virtuti detulerunt; nos imminuemus, ac repudiabimus? Et in doctrinarum ratione percurrenda, nequaquam vero in morum legibus excipiendis duces, auctoreſque nobis imitandos proponemus? Nolo autem hiſce uti exemplis, quae plurima ſunt, nolo Pythagoram, Solonem, Platonem, alioſque

que in medium afferre, quorum praecepta passim legentibus occurrunt splendidissima; nolo Ethnicorum hominum probitatem vobis commendare, quae cum non esset saluberrimis Religionis nostrae fontibus irrigata, vitia saepius, & animi arrogantiam referebat; sed illam morum disciplinam, quam firmissimis innixam cardinibus summi viri, ac sanctissimi coluerunt, vobis, Adolescentes, imitandam propono; quamque Ambrosii, Augustini, Hieronymi, aliique sexcenti in deliciis habuere; quos mehercule, non quod doctrinae dumtaxat ornamentis floruerint, sed quod morum innocentiam, vitaeque sanctitatem in doctrinae praesidium adsciverint, jure merito suspicimus, ac veneramur. Hi vobis adesse debent verae probitatis suasores, consultoresque; cum praesertim in re tanti momenti facile possit ipsamet vos ratio revincere, quae ut bene adhibita cernit quid optimum sit; Ita neglecta multis erroribus implicatur.

Neminem vestrum latet, Reip. nil magis interesse, quam ut iis abundet Civibus, qui in publicis muneribus obeundis satis idonei reperiantur, qui alios

vel ſeneſcentes, vel decedentes excipiant, atque ita patriae dignitas, robur, & gloria nunquam, ſi fieri poſſit, interitura conſiſtat. Caeterum in tanta munerum varietate, quemadmodum nonnulla leviora ſunt, quae, ſi negligantur, non maximum afferunt Reip. detrimentum; ita ea omnia, quae ingenio exercentur, ſingularem poſtulant in rebus gerendis ſapientiam, conſilium, & gravitatem, nihilque remiſſum patiuntur in iis, quorum fidei plerumque publica felicitas commendatur. Quod ut pro voto aſſequantur, nonne una virtus praeſtat, eaeque artes animi, quibus ſumma claritudo continetur? Hinc enim verae gloriae ſtimulis incendi, aut patriae amore inflammari; illinc pravum ab honeſto ſecernere, & publicum privato bono anteponere; nihil praeterea integritate laudabilius, nihil bonae conſcientiae teſtimonio jucundius, nihil bonorum conſenſione, ac judicio optabilius habere, unius praeſidio virtutis aſſueſcimus. Quae quidem eo pluris eſt facienda, quod non ſolum per ſe ſplendidum quaſi lumen ſit; ſed quod eam praeſeferat vim, poteſtatemque, ut hac freti neque in-

inhoneſti lucri cupidine alliciamur, neque aerumnis, minis, blanditiiſve ab aequitate deterreamur, neque paucorum potentiae gratificemur, & incorrupto poſteritatis judicio inſervientes falſam cujuſdam aeſtuantis gloriolae ſpeciem negligamus. Haec liberaliter inſtituti civis, & Chriſtiani hominis vera laus eſt, ſita videlicet in germana virtutis poſſeſſione; ad quam obtinendam multarum Artium ſcientiam valere, ac magnopere conferre, ni faterer, profecto amens eſſem. *Liberaliora enim ſtudia*, ut inquit Seneca, utque ab ipſamet eorum natura comprobatur; *animum ad accipiendam virtutem praeparant, atque expediunt*.

Quid autem ſcientiae omnes? quid eruditionis ſeges nequaquam cum integritate conjuncta? quid docti? quid ſapientis nomen praeſtat, ſi vitiorum coeno pollutus minime quis poſſit muneribus ſatisfacere? Revera niſi in candidatis ſanctitas morum ad litteras accedat, quae rerum monſtra, qnae calamitates exoriantur neceſſe eſt, quaeſo mecum reputate. Adeſt profecto, qui ſcientiam juris apprime calleat, qui Juſtinianeos

Codices, eorumque interpretes, necnon immenſam de legibus librorum ſegetem omnem memoria hauſerit, manibuſque contriverit. Ergo qui in civium cauſis defendendis verſetur, eſt apprime accommodatus. Aſt avaritia non mediocriter laborat. Proh miſeros cives, & calamitoſos! Quid videlicet ab eo, quem patronum elegiſtis, vobis ſperandum ſit non video; qui non veſtrum, ſed cura peculii afficitur, cujus aureorum aſpectu ita hebetantur oculi, ita mens caligine obruitur, ſenſuumque latebrae, corporiſque receſſus laethali rubigine obducuntur, ut (abſit verbo invidia) ne fraudibus incautos intercipiat, ne veritatem omnem pro libidine detorqueat, ne adverſariis liberalioribus lenocinetur, ne rem ad aeternum tempus protrahat, ne denique cauſam, licet optima utatur, atque perſpecta, ſemel ſibi impoſitam vel perditiſſime abjiciat, vel turpiſſime corrumpat, magnopere verendum eſſe videatur. Adeſt aliquis in re Medica peritiſſimus, quique ab Ippocrate, atque Galeno ſummis hominibus traditam medendi artem didicerit. Ergo aegrotantibus praeſto ſit. At eſt diſſolutus, & nequam. Proh rem

non

non ferendam! Quam multos putabimus hujus furfuris homini corporis curam velle committere, qui ſui medicinam animi parare neglexit, quique pravis cupiditatibus diſtractus nulla inmedendo neque gloria, neque officio, neque honeſtate ducitur? Adeſt alius in dirimendis litibus, & quaeſtionibus ſagaciſſimus, diligentiſſimus in ſuſpicando, in vindicando fortiſſimus. Ergo Judicis munere fungatur. At ingenio aeſtuat nimis acri, atque iracundo. Proh vitium lacrymis excipiendum! Quam multi ejus acerbitate violati ſententiam vel aequiſſimam iniquo animo ferent, &, re infecta, non Cauſae levitatem, ſed judicis aſperitatem incuſabunt? Adeſt qui Theologiae diſciplinarum omnium graviſſimae, & Sanctiſſimae ſedulam operam navavit, Canonum, Sanctiſſimorum Patrum, Interpretum volumina diligentiſſime pervolvit. Ergo qui in hac facultate facem tironibus praeferat, morumque certam imperitis viam communiat, eſt opportuniſſimus. At laxatis aliquantulum habenis utitur. Proh coenum, atque portentum! Nonne hunc turpiorem in ratione vitae peccantem ipſemet Tullius appel-

laret, quod in officio, cujus magiſter eſſe vult, labitur, artemque vitae profeſſus delinquit in vita?

Aſt quid in re minime obſcura diutius immoramur? Singulas, ut cujuſcumque libido eſt, perpendite artes, & diſciplinas, Adoleſcentes; earum vim, indolem, rationeſque vobiſcum animo reputate; & nunquam cum vitioſis hominibus convenire doctrinam, quin ſemper adverſis frontibus diſcrepare intelligetis; Niſi forte alicui veſtrum vehementer probetur aut Philoſophus, qui dum facultatem integritatis, fidei, continentiae, juſtitiaeque ducem, ac magiſtram profitetur, omnes haſce virtutes improbiſſime conculcat; aut Aſtrorum inſpector, qui dum mira ſummi rerum Opificis opera intuetur, ſidera definitum ordinem ſervantia, annuas commutationes, diurnas nocturnaſque viciſſitudines contemplatur, vel de Providentia, vel de Religione audet parum integre ſentire; aut in litteris, & Hiſtoriarum monumentis eruditus, qui dum tot ſummos homines, vel pro patria fortiter occumbentes, vel uſque ad extremum ſpatium nullum tranquillum, atque otioſum ſpiritum ducentes, ejuſ-

ejuſdem bono, incolumitatique devotos paſſim reſpicit, ipſe laborem oderit, averſetur, & deditus corporis deliciis per luxum, atque inertiam aetatem agat; aut denique Phyſicus, aut Orator, aut Criticus, qui dum vel naturae arcana inquirunt, aut diſſerunt, aut de rebus honeſtis, puto, judicium pronunciant, ſive Auctorem naturae violant, ſive homines fraudibus, mendaciiſque ludificantur. Hi autem non homines, ſed teterrima nuncupandi monſtra videntur, quos & ſibimet ſemper diſſentire, & inteſtinum quodammodo bellum experiri, artiumque nobiliſſimarum praecepta, quae prae oculis, quae in deliciis habent, quae profitentur, in omni vitae ratione factis ultro rejicere compertum eſt. Quapropter quantam ab iſtorum doctrina in patriam caritatem, in parentes benevolentiam, in amicos fidem, in cives praeſidium, in omne genus hominum beneficia profectura eſſe exiſtimatis?

Utinam igitur vel nunquam ſe litteris dedidiſſent, vel eas per ignaviam contabeſcere ſinerent, quin effraenatae morum licentiae tam inſolens litterarum accederet oſtentatio! Illud enim prae-

terea graviſſimum eſt, & magnopere dolendum, Auditores, quod quemadmodum ſi cum eximia, probaque natura conjungantur litterae, praeclarum neſcio quid referant, ac ſingulare; ita cum mala perniciem cum caeteris, tum ipſis cultoribus funeſtiſſimam importent. Quaedam nimirum aucupandae inanis gloriae cupiditas paullatim ſerpit eorum animis, quae nullam aetatis degendae rationem patitur eſſe expertem ſui; hinc intumeſcere, fiduciam ſui oſtentare, faſtumque turpiſſimum; hinc hominum ſtudia, popularem auram, & ſuffragia captare, animum non ſatis firmum adverſus lenocinia adhibere, impetu, atque aeſtu juvenili ſubrepente; compendiariam deinde viam ad honores, ad opes quaerere, per ambitionem ſe ſe probos ſimulare, dolis antecapere, criminoſe aliorum dicta, & facta carpere, turpia meditari, flagitioſa ſequi, ingenium, & orationem, ut vitia tegant, praeſeferre, pravum, honeſtumque juxta habere, atque ita bonis artibus, ceu peſſimis vitiorum conſultoribus, uti. Neque res me mendacem patitur, Auditores. Haud enim vel Anacreontes, vel Euripides, vel

vel Naſones, vel Marinos commemorabo, quibus ingenii praeſtantia ad loquendi licentiam, & ad vitae turpitudinem ſuffragata eſt; ſed quibuſdam jure merito recentioris aetatis hominibus poſſem ſuccenſere, aliiſque, qui eorum veſtigiis inſiſtunt. At vero, quorum nec nomina attingo, ipſi viderint praepoſteri homines, ac flagitioſi, quidum ſe doctiſſimos praedicant, ingenium corruptis moribus dedecorant. Verumtamen undenam, quaeſo, tantus in iis de vitae cultu, ac ſanctitatis diſciplina contemptus? unde bonorum irriſio? unde quaedam honeſtatis, & naturalis decoris nomina oborta ſunt, quae venditant, quae praetendunt, quae imperitorum animis inducunt, quibus ad feliciter vivendum tanquam cardinibus innixi gloriantur? Nae illi falſiſſimi ſunt, ſi pravis opinionibus irretiti, de Deo, de Virtutibus Chriſtiano homine dignis, de Animi immortalitate liberius ſentientes, tantum hoc Religionis Sanctiſſimae lumen, ac ſplendorem maculis aſpergere poſſe arbitrantur; quaſi vero ea aut decori, aut vitae elegantiae, aut honeſtati, ipſive naturae vel latum unguem refragetur. Aſt undenam tot tamque imma-

immania monſtra, quae in ipſis Religionis noſtrae venis, atque viſceribus furentia, ac debacchantia inſurgunt, obſtrepunt, minitantur, niſi ab ea doctrinae celebritate, qua primum homines intumeſcentes id poſtea evomuerunt impuriſſimo ore, & venenato calamo virus, ſeu potius amentiam, ad quam eos natura peperit, voluntas exercuit, libido ſervavit? In hanc fraudem impellit fiducia ſui, & inſitus humanis ingeniis tumor. Cavete autem ab horum inſidiis, Adoleſcentes, qui clamant ſubeſſe piis inſtitutis, ac diſciplinae neſcio quid noxae; & illa, ad quae ab incunabulis imbuti eſtis, pietatis, Religioniſque munera, vel in hac aetate intermittenda, vel tamquam levia, ac nugatoria diſciplinarum nobiliſſimarum cultoribus parum convenire blaterant. Diſcindite cum iis amicitiam, qui in hoſce Sirenum Scopulos Syrtibus, areniſque aeſtuantes, unde nunquam regredi permittitur, vos imprudentes, minuſque cogitantes tentant conjicere. Fallacibus illis abſtinete ſermonibus, artificioque ſimulationis eruditis, multoque magis ſcriptis tartarea imbutis lue, in quibus ſi fortaſſe ſatis eloquentiae,

aut

aut ingenii, certe ſapientiae parum. Veritatem enim verborum ambagibus obducunt, aut quaquaverſum Typhonis inſtar detorquent. In herba latentes angues facile reperietis, ſi impudentium hominum dicta cum diſſolutis, ac perditis moribus contuleritis.

Sed, ut unde digreſſus ſum revertar, multum profecto ineſt in ejuſmodi doctrina praeſidii, ac dignitatis, & praeclaram ejus ope gratiam referunt noſtri homines tum rerum Opifici Deo, quem impie laedunt, tum aliis, quos impune decipiunt, tum ſibimet, quibus diuturnum intus incluſum animo bellum procreant. Non ſum neſcius viros doctos in ipſis Romani juris monumentis Mundi lumina, rerum humanarum praeſides, multitudinis rectores, juſti rectique arbitros, & publicae, privataeque felicitatis adminiſtros appellari. Aſt cum vitiis depravata mens eſt, faceſſat mihi iſte doctorum globus, qui non animis lumina, ſed tenebras offundunt; non multitudinem regunt, ſed depravant; & honeſta, atque inhoneſta promiſcue habentes pro publica, privataque felicitate perniciem, infelicitatemque omnibus afferunt luctuo-

ſtuoſiſſimam · Et adhuc de Doctrinae poſſeſſione glorientur? Et adhuc ſe optime de litterarum Rep. mereri praedicent? Et adhuc ſe doctorum eſſe nomine inſignitos velint?

Quamquam ego, ut verum fatear, non ita facile in animum induco meum, eos, quos vitioſos ſtatuo, poſſe revera doctrinae ornamentis excellere. Enimvero prout olim ajebant, Βότρυας δ' κυα ακανθα, non producit racemos ſpina. Et profecto id ſemper veriſſimum putavi, pulcherrimas diſciplinas in celſiſſimo quodam monte fuiſſe collocatas, ubi nulli concreti, terrenique vapores inſurgerent, qui Caeli amoenitatem vel minimum imminuerent; curis videlicet abdicatis, & negotiorum, & ſollicitudinum pondere a nobis excuſſo illuc ſine interpellatoribus permeandum, ut tranquilla, pacatiſſimaque ſtatione perfruentes mentis caliginem expediamus, & inſitis veri ſeminibus paulatim erumpentibus ſublimia ſpectemus, ad altiora erigamur, tandemque in ſapientiae deducamur penetralia; ubi animus rerum graviſſimarum curis diſtentus, & diſciplinarum varietate excolatur, & voluptate humaniſſima

ma recreetur. Quod ſi in ipſis viris probis, ac moderatis alienae quaedam cogitationes tantam vim habent, ut a doctrinarum veſtibulo adeundo non mediocriter retardent, & pauciſſimi improbo, diuturnoque labore ſacra limina attingunt; quid vitioſi adoleſcentes, ſi qui ſunt, ſe aſſequuturos ſperent, non video. Contendent profecto eo ferre pedem invidi; ſed quoniam in aliorum felicitatem omnes irrunt cogitationes, & conatus, nonne hoc tabo voluntas praepedita a ſtudio diſcendi, percipiendaeque veritatis abhorreat neceſſe eſt? Contendent avari; ſed prava cupiditate ingruente nonne in eo ſemper mens eorum conſiſtet, in quo ſe poſſe fortunari arbitrantur? Contendent diſſoluti, ac perditi; ſed caecis, atque inconſultis animi motibus diſtracti, novis in dies vitiorum illecebris irretiti, nonne omnem ſcientiarum dulcedinem reſpuent, ac voluptatem, quam unam in explendis libidinibus aucupantur? Contendent demum aut iracundi, aut ebrii, aut leves, aut ventri dediti, parti turpiſſimae corporis, aliique vitiorum coeno provoluti; at hi, quo pacto ſe erigere, & diſciplinarum graviſſimarum ſtudia po-

te-

terunt attingere, ſi iis contra naturam corpus voluptati, anima oneri eſt? Ut hinc etiam intelligatis facilius aquam cum igne convenire, & ſerpentes avibus, agnos tigribus poſſe copulari, quam ſtudium litterarum cum perverſa vitae ratione, cumque pravis cupiditatibus, quae animum quaquaverſum rapiunt, diſtrahunt, divexant, nec una, eademque ſtatione conſiſtere patiuntur.

At enim, inquiunt, inficiandum non eſt, quam plures olim fuiſſe, qui licet vitioſi eſſent, ac diſſoluti, doctrina tamen non mediocriter praeſtiterunt. Teſtis Anacreon amatoriis nugis irretitus, teſtis Lyricorum Vatum Princeps, ut in multis optimus, ita in nonnullis merito notandus. Teſtis Ovidius Poetarum fortaſſe omnium perditiſſimus; Teſtis Caeſar patriae libertatis everſor; Teſtis denique par illud Eloquentiae praeſtantiſſimum Demoſthenes, & Tullius, quos nonnullis vitiis laboraſſe compertum eſt. Quod ſi eos omnes doctrinae fama floruiſſe tradita ab ipſis ingenii monumenta teſtantur; tota corruat oportet Oratio, quae vitioſis hominibus litterarum poſſeſſionem interdicit. Haec ſunt profecto, quae imperiti

riti nonnulli blaterant adoleſcentes, quibus innixi nobis fucum facere gloriantur.

Difficile eſt haec exempla refellere; ſed tamen eſt certum, quid reſpondeam. Fuerint non complures, ut ajunt, ſed nonnulli improbi viri, ſimulque doctiſſimi. Quid ita? Num pauciſſimorum exemplo freti omnes idem aſſequuturos ſperabimus? Quod illi maximo ingenio pollentes, & habitu naturae prope divino obtinuerunt, nos ad ſingulos traducamus? Etiam illud adjungo, eos, qui memorantur, aut non tam fuiſſe vitioſos, quin plurimis quoque eſſent virtutibus praediti; aut tunc a recta vitae ratione deſciviſſe, cum jam graviſſimis eſſent diſciplinis ſatis inſtituti; aut demum vel miſerrimo exilio, vel fortunarum jactura, vel immatura morte, cui plerique illorum fuerunt obnoxii, caeteris exemplum reliquiſſe, non poſſe in improbis hominibus doctrinam fortunari, aut diutius conſiſtere.

At ſi haec omnia in Oratione mea non ponerem, quae graviſſima ſunt, num minus conſtaret, animum vitiis irretitum, & graſſante cupiditatum aeſtu diſtractum litterarum rationi ingrediendae, aut ſuſcipiendae imparem eſſe? Num minus eſ-

eſſet omnibus compertum ex iis, quae uſque adhuc ſunt a me breviter diſputata, non tam eſſe ſicam latronibus pernicioſam, quam ſceleſtis doctrinam, qua, ut plerumque fit, miſerrime abutuntur?

Quare aliquando tandem vos, Adoleſcentes optimi, quorum animus doctrinae ſtudio inflammatur, enixe hortor, atque obteſtor, ut opinionem abjiciatis fallaciſſimam, ſi quam habetis, quae deinde naturae vim ſolet obtinere, doctrinarum videlicet poſſeſſionem poſſe ſine magna pernicie a morum cultu ſejungi. Sinite vel perfrictae audaciae homines id per impudentiam, ac turpiſſimum ſcelus evomere; quandoquidem bonas artes, non vitiorum, ſed virtutum comites, adjutriceſque datas eſſe ipſum Tullium conclamantem audietis. Pudeat unumquemque veſtrum non majorum moribus inhaerere, qui omnium magnarum rerum principia exorſi ab Diis ſunt, ut Livius teſtatur, & finem eum ſtatuerunt; pro certo habentes illos pietati, fideique favere, per quae Populus Romanus ad tantum faſtigii pervenerat. Conſultius igitur vos facturos exiſtimate, ſi integritas, atque Religio, qua ſublata pertur-

ba-

batio vitae ſequitur, & magna confuſio, veſtris laboribus praeluxerit. Et prout aquarum inductionibus foecunditas agris tribuitur; ita optimis inſtitutis, ac morum diſciplina diligenter exculta, erigi veſtra ingenia, atque ab imis terreſtribuſque ad altiora attolli ſentietis; ut exinde ſtudiorum veſtrorum eo Duce, atque Auſpice, quem enixe deprecantibus nunquam vobis defuturum pro certo habete, ampliſſimum fructum colligere poſſitis.

ORATIO QUINTA

DE LITTERARUM PRAESIDIO AD VITAM IN HOMINUM CONSUETUDINE LIBERALITER TRADUCENDAM.

MIsero, funeſtoque rei cum privatae, tum publicae fato contigiſſe arbitror, Auditores, ut, quamvis tanta ſint Litterarum praeſidia, quanta ſemper eximii earum cultores ad aeternam nominis famam praetulerunt; nonnulli tamen reperiantur, qui inito cum ignavia foedere, & ab iis abhorrere & eas perfricta fronte palam audeant contemnere. Hoc ſane eorum vel dementi, vel oſcitanti animo tribuatur. Verum cum quaedam falſa opinio litteris valde injurioſa pauliſper in nonnullorum adoleſcentium mentes irrepſerit; huic totis viribus hodierna die occurrendum exiſtimavi. Ajunt nempe iſti bonarum artium oſores, ab iis profecto, qui humili loco nati in rerum omnium inopia verſantnr, in litterario pulvere eſſe deſudandum; ſe autem fortunae bonis Dei munere affatim cumulatos, queis vitam commode traducant,

ducant, nequaquam ad ſtudia allici, neque eorum ope indigere. O ridicula ſane capita! O vocem ignaviae non ferendam! Ita ne vero? Nihil ergo apud eos incredibilis utilitas, nihil oblectatio, nihil ſplendor, ac gloria valebit? Quae cum a litteris omnia tamquam ex uberrimo fonte proficiſcantur, facile deberent honeſtum quemlibet, vel in magnis opibus conſtitutum, ad eas comparandas impellere. Verum eſto: Reperiantur nonnulli animo tam agreſti, ac duro, qui tam ingentes fructus, famamque deſpiciant. Niſi vero aut omnem prorsus exuere naturam, aut in tenebris deliteſcere ſtatuerint, nequaquam hominum coetus effugient, quibuſcum quoddam ſocietatis vinculum ipſis intercedat neceſſe eſt. Ut igitur os penitus his obſtruatur, & magis magiſque litterarum laudes late diſſeminentur, illud argumenti genus breviſſime aggrediar pertractandum, vobis, quemadmodum ſpero, non moleſtum, Auditores, iis, ad quos ſpectat, valde accommodatum, minime autem ab hujus diei ratione alienum; eos videlicet, qui hac hominum conſuetudine dumtaxat uti volunt, & in hac vitae urbanitate verſari,

litterarum praeſidio omnino indigere.

Ipſo autem dicendi exordio ſatis intelligo, Auditores, qui conſilium meum vehementer improbandum cenſeant, minime defuturos; quod cum tantae ſint doctrinarum laudes, quas oratione perſequi facile poſſem, anguſtis hiſce finibus me temere circumſcripſerim. Quis enim in litteras injurius eſſe non videatur, qui, cum Provinciam maximam, ac negotii plenam juventutis publice inſtituendae ſuſceperit, bonarum artium, ſcientiarumque dignitatem, praeſtantiam, fructuſque uberrimos in medium afferre non ſtudeat? ut arduum ſapientiae iter ingreſſuri, & ſibi calcaria addi ſentiant, & labori ſeſe libentiſſime adjiciant. Vos, vos teſtes adeſtis ſplendidiſſima litterarum lumina, atque in omni ſcientiarum genere facile principes, quos, earum deſiderio flagrantes, nunquam aut ſomno retardatos, aut voluptate avocatos, aut otio abſtractos fuiſſe non ignoramus. Vos, qui ad colendam virtutem, morboſque animi compeſcendos, illas in primis valere tradidiſtis; & mira alacritate abdita quaeque aggreſſi pervolvenda monumenta ſummam in iis hominum

minum felicitatem ſitam eſſe contendiſtis. Vos, qui diſciplinarum faſtigium, licet adſcenſu aſperum, & ſentibus obſitum, & anguſtiis praepeditum adire minime dubitaſtis, tantaſque habere illecebras honeſtiſſimae voluptatis faſſi eſtis, ut qui eas vel primoribus, ut ajunt, labris deguſtarint, caetera contemnant, atque obliviſcantur. Vos autem oro, obteſtorque, ne mihi crimini tribuendum eſſe cenſeatis, ſi in tanta rerum copia litterarum decori, atque amplitudini videar aliquid detraxiſſe. Non enim levem, neque vulgarem, immo graviſſimam, iis, qui maturius expendent, diſceptationem fortaſſe videbor inſtituiſſe, & ſatis tum litteris, cum Adoleſcentibus conſuluiſſe.

Aſt ne in re prorſus ab inſtituti mei ratione aliena longius, quam par eſt, progrediar, eos aliquando Juvenes alloquar, qui fortunae bonis ſatis ſuperque cumulati nihil niſi hominum conſuetudinem reſpiciunt, quibuſcum, litteris poſthabitis, ſe vitam ſatis commodam, ac felicem ducere arbitrantur, & quaſi placidiſſima quadam ſtatione conquieſcere. Quod ut pro voto aſſequi poſſint, illud profecto non ignorabunt, hominum naturam, quo-

rum ſocietati tantopere inhiant, primum ſibi perſpectam eſſe oportere. Quis enim cum aliis rite agat, quin prius quo ingenio, quibus moribus, quibus artibus, qua ratione polleant, dignoverit; omneſque penitus animi motus, ſenſuumque latebras, ſi fieri poteſt, detexerit? Enim vero quem latet, quot in animo hominum, typhonis inſtar, ambages, quanta verborum ambiguitas, ac fallacia plerumque verſatur? Ut niſi quis acri judicio, eaque ſolertia ſit praeditus, quae litterarum ope potiſſimum comparatur, aut perficitur; denſiſſimis, quibus undique circumfundetur, tenebris emergere, graviſſimiſque difficultatibus eluctari fruſtra contenderit. Deinde nonne experientia rerum magiſtra edocemur, variam prorſus cum aliis habendam eſſe rationem ſtudio perſpecto, & conſuetudine adjuncta, prout varia eſt eorum natura, diſtractaeque ſententiae? Jam vero qui miſeram illitteratorum juvenum conditionem non lugeat? Illi enim plane rudes, atque imperiti quo pacto jocoſos a gravibus, a vigilantibus inertes, agreſtes ab urbanis, pravos denique ab honeſtis ſecernent? Num quid cuilibet tribuendum noverint,

aut

aut cum aliorum ingenio convenire ?

Praeterea quomodo ita moratus, ita animo, ac vita conſtitutus, ut ratio poſtulat, apud alios videbitur, qui ſemetipſum omnino ignorat ? Quoties in hominum conſuetudine vel virus evomat acerbitatis ſuae, vel ſe corporis indulgentia tranſverſum agi permittat, vel avaritiae, aut libidinum coeno ſe coinquinatum oſtendat neceſſe eſt ? Nam ut ingenium doctrina perfectum, litteriſque excultum multum detrahit de inconſultis, caeciſque animi motibus, qui honeſtum hominem dedecorant ; Sic etiam mens inſcitiae caligine obtuſa praeceps cupiditate fertur, qua miſerrime quis abreptus non modo aſperitatem, immanitatemque naturae oſtendit, verum etiam rationis imperium facile repudiat. Quae autem clientelae, quae vicinitates, quae conſuetudines, quod denique ei cum aliis amicitiae vinculum ineſſe poterit ; quae caeteroquin tantas habet opportunitates, ut qui eam e vita tollant, ſolem ipſum e Mundo tollere videantur ? Cum enim ſapientum vocibus, praeceptiſque celebratum ſit, ſine virtute amicitiam eſſe non poſſe, ac ad eam conſtituendam, pro-

penſiores eſſe ad benemerendum, quam ad repoſcendum, & beneficia non foenerari oportere; nonne haec animi remiſſio humaniſſima, ac liberaliſſima imperitis denegabitur, qui in hujuſmodi documentis nec Philoſophorum praeceptis, nec Poetarum numeris, nec Hiſtoricorum exemplis, quae ſplendidiſſima occurrunt, ſe informandos tradiderunt? Niſi forte dum aliquis, prout in illo Horatiano habetur, *gaudet equis, canibuſque, & aprici gramine campi*; vel inepta dum alii, & ridicula, aut etiam brutorum more obſcoena, & turpia una cum perditis, ac diſſolutis evomunt, optatam ſe aſſequutos fuiſſe amicitiae voluptatem glorientur; quam tamen non vitiorum comitem, ſed virtutum adjutricem a Natura datam eſſe Tullius teſtatur. Verumtamen ſi probroſa, & indigna ſectari eos pudet, & liberaliter inſtituti, honeſtoque loco nati videri cupiunt; id plerumque ſane accidet, quod in virorum conventu contingere ſolet, ut vel de bonis artibus, vel de bellorum viciſſitudinibus, vel de Regum potentia, vel de Urbium ſplendore, aut celebritate diſſeratur. Cumque pro rerum opportunitate, quod quiſque

que ſentiet, protulerit, quid mehercule litterarum plane rudis conſilii capiet? Quo confugiet, qui hominum ſocietate tantopere delectatur? Loquetur ne? Aſt qua de re, Auditores? Num de Geographia, ſi vel urbium celeberrimarum nomen ignorat? Num de agrorum cultu, frugumque perceptione, num de Regnorum incrementis, ac vi; ſi haec tanquam portenta quaedam ineptis auribus obſtrepunt? Num de Nautica, num de re militari, num de Poeſi, de Eloquentia, num de Legibus, quae omnia nunquam attigit? Num de Hiſtoria, cujus monumenta conſulere ſemper detrectavit? Num de Juriſprudentiae facultate, ſi, quid aequum, quid iniquum, quid utile, quid honeſtum ſit, prorſus ignorat? Quod ſi de Aſtronomia, de Matheſi, de perceptionibus humanis, de occultioribus denique naturae arcanis, penitiſſimiſque diſciplinis ſermo occurrat; in quot errores impingat neceſſe eſt, qui ea omnia ne a primo quidem limine ſalutarit? Illud igitur in tanta rerum difficultate ſupereſt, ut plane rudis obmuteſcat. Quo nihil ad nominis labem, ac dedecus probroſum magis exco-

excogitari poſſe, nemo non videt. Obmuteſcere, lapidem videlicet ſuper lapidem ſedere, & inertiſſimum truncum haerere apud eos, quorum conſuetudine ad vitam feliciter traducendam ſe frui poſſe jactitabat, num quoddam leve exiſtimet, aut aequo animo ſibi ferendum videatur? Cum enim ratione, & oratione potiſſimum a belluis diſtinguamur, quo rubore is non perfundatur oportet, cui optandum magis eſſet, vel in antris incluſum, vel ſemper in tenebris delituiſſe, quam hiſce muneribus nudum linguis hominum judiciiſque irrideri, atque contemni? Quandoquidem, ut ait Cicero, quid de ſe quiſque ſentiat negligere, non modo arrogantis eſt, verum etiam diſſoluti.

Verum ne, qua premor, temporis anguſtia abutar, hinc probe intelligitis, Auditores, omnem, quae ab honeſta hominum conſuetudine dimanat, voluptatem a Litteris eſſe repetendam; cum praeſertim hinc omnem morum ſuavitatem, vitaeque elegantiam effluxiſſe compertum ſit. Revera memoremne hic foediſſima, & teterrima illa primorum hominum tempora, cum in ſilvis

pene

pene deliteſcentes, inurbani prorſus, atque agreſtes, jurgiis, armiſque inter ſe diſſidentes ab omni prorſus cultu, ac ſocietate abhorrebant? Memoremne id tantum in deliciis habuiſſe, inſtar belluarum fremere, latrare, ac ſaevire, & quaſi quibuſdam furiarum taedis ardentibus compulſos vitiorum omnium coeno coinquinatos temere ubique vagari? Pugnabat enim cum avaritia luxuria, cum ambitione turpium facinornm libido; hinc iracundia caedibus inhiabat, crudelitas cum metu contendebat, & quae praeſto eſſe debebat omnium Domina, & Regina ratio, neglecta prorſus in illis tenebris, caeciſque nubibus exiguos ſane igniculos emittebat, quibus homines vix a brutis ſecernerentur. Jam vero in tanta rerum omnium perturbatione, quae vis a fera, agreſtique vita potuit homines ad hunc humanum cultum, civilemque deducere? O litterarum dignitatem nunquam ſatis praedicandam! Non enim Orphei, neque Amphionis, aut Neſtoris eloquio, vel ſuavitate ſilvas, lapideſque commotos, aut belluas inſitam exuiſſe feritatem, ſtatuendum eſt, poetarum more aeſtuantis

tis ingenii habenas relaxantium; cum unicuique perſpectum ſit, viros ampliſſimos tanta praeſtitiſſe doctrina, ut effraenatos hominum mores, animoſque diſſidiis diſtractos paullatim honeſtiſſimis diſciplinis componerent. Revera gentes immanitate barbarae non exinde extiterunt, quas vel cruorem vulneribus manantem bibendi, vel disjectis hominum artubus menſas onerandi, vel denique ſilvas abditiſſimas incolendi cupido ſordida, atque immaniſſima delectaret. Inſcitiae enim caligine ex hominum mentibus excuſſa, ab animi feritate, morumque aſperitate, doctrinae cultu, doctorumque virorum conſuetudine ſenſim illi ad elegantiora quaeque defluxerunt.

Quae cum ita ſe habeant, te tandem alloqui mihi fas ſit, veneranda, ac ingeniorum altrix vetuſtas: Tu ſapientum voce, ac praeſidio ſaevientem illorum temporum leniiſſe ferocitatem profiteris; Tu, ubi deſidia, & pravae cupiditates graſſabantur, & exultantior inſania dominabatur, lenitatis, modeſtiae, humanitatiſque quaſi ſigna quaedam ſplendidiſſima ſuſtuliſti. E tuo ſinu doctrinarum

rum praeceptis imbuti prodierunt Viri celeberrimi, qui & ipſi ſociali quodam foedere homines devinxerunt, & unumquemque ad honeſtiſſimam vitae conſuetudinem qua legibus, qua praeceptis, qua exemplo allicientes, eam ubique gentium tandem diſſeminarunt. Aſt proh diſſolutam, ac perditam rationem! Inſurgunt inepti quidam noſtrae aetatis juvenes, ac barbatuli, qui eo dementiae pervenerunt, ut ſine Litterarum cultu ſe nullo negotio poſſe hac hominum urbanitate non uti ſolum, verum etiam eniteſcere confidant. Id enim praeterea ajunt, ſeu blaterant: Litteratos quoſdam plerumque immanitatem tantam praeſeferre naturae, ut ore, inceſſu, habituque agreſtes, ac rudes, ab hominum pene conſuetudine abhorreant. Quid ita? Quod ergo eorum naturae eſt, ac rationis, id litterarum vitio tribuetur? Niſi forte quod ſcurrilia quaedam, & vana, ut ſaepe fit, aliquis aegre ferat, atque averſetur, idcirco rudem, vel μισάνθρωπον judicaveris. At eam eſſe Litterarum vim, poteſtatemque quis non intelligat, ut quemadmodum ſi ad eximiam naturam

acceſ-

acceſſerint, quoddam praeclarum referant, ac ſingulare; ita etiam cum rudi, atque immani conjunctae, ad mitiorem ſaltem uſum, vitamque in dies humaniorem compellant? Quid autem in re non dubia diutius immoror?

Expergiſcimini igitur, Adoleſcentes, ſi qui eſtis, qui futilibus innixi rationibus ignaviae adjumenta aucupamini. Pervolvite veteris, recentioriſque aetatis monumenta, ſemperque celeberrimos homines, ſaltem pleroſque, urbanitatem cum doctrina conjunxiſſe intelligetis. Quos profecto ſi enumerare vellem, difficile eſſet exitum invenire. Hinc enim, ut nonnullos commemorem, occurrunt Julius Caeſar, illinc Pompejus, hinc Horatius, illinc Tibullus, aliique ſexcenti, quos ut nemini ſupereſt dubitandi locus mirum in modum doctrina valuiſſe, ita hominum conventu familiariſſime uſos eſſe pro certo habemus. Occurrunt praeterea Ariſtoteles, qui Alexandrum, Poſſidonius, qui Pompejum, Plato, qui Dionyſium devinctos conſuetudine cum tenerent, tanta eorum animos laetitiae voluptate perfundebant, ut ſermones in multos dies, noctesque protrahe-

traherentur, quin rerum graviſſimarum curis diſtenti ab honeſtiſſima conſuetudine ſe diſtrahi paterentur. Cujus rei etiam exemplo eſſe poteſt celeberrimum illud Timothei effatum, qui Platonis lepore, ac ſuavitate, quam ad coenam invitatus guſtarat, permotus, illud ait: Platonis coenas poſtridie etiam delectare. Quo quid ſplendidius, quid honorificentius, vel ad Litterarum amplitudinem, vel ad Litteratorum in hominum coetibus intelligendum promerita, vel ad rejiciendas imperitorum juvenum opiniones accommodatius eſſe poſſit non video.

Tacitus adhuc praeterire nullo modo poſſum par illud eximium amicitiae Atticum, & Ciceronem. Hunc quaeſo Principem in foro locum ſibi vindicantem, honores ampliſſimos exercentem, perditorum minas propulſantem, inimicorum impetum retundentem, Reip. dignitatem cura, vigiliis, laboribus denique ſuſtinentem animadvertite. At ſane qui Litterarum praeſidio in conſilio gravitatem, in rebus agendis ſolertiam, in perficiendis alacritatem quam qui maxime praeſeferebat, nonne is in con-

conventu amicorum, ut hiſtoriarum monumentis traditum eſt, tot lepores, feſtivitateſque dicendi proſequebatur, ut omnium animos ſibi devinciret? Dum autem Atticum nomino, quis animo non reputet ſuo, hunc a Reip. honoribus prorſus alienum nihil in vita, niſi eam, quae ab hominum conſuetudine pendet, felicitatem reſpexiſſe? Cur igitur fortunae bonis ſatis ſuperque cumulatus ſe litteris non abdicavit? Cur tamquam vanas ſibi, inutileſque non rejecit? Quin etiam eas amavit ſemper, aſſidue coluit, vehementiſſime proſequutus eſt. Qua vero, quantaque utilitate, ac ſplendore, Auditores! Hinc enim factum eſt, ut cum Tullio familiariſſime viveret, a Caeſare, Pompejo, M. Antonio, caeteriſque ampliſſimis viris coleretur, & in illis tenebris, quibus Reſpublica ubique raptabatur, vexabatur, dilaniabatur, ipſe nullo partium ſtudio irretitus aſſidua Litterarum, aut Litteratorum exercitatione, ac conſuetudine humaniſſima incolumis frueretur. Quod ſi noſtrae aetatis tempora conſulamus, quot ſapientiſſimos adhuc viros inveniemus, qui tanta morum lenitate, ac facilitate prae-

praeſtiterunt, ut ad urbanitatem non nati, ſed plane facti, non à Natura imbuti, ſed inſtituti viderentur! Quos inter profecto Newtonum, & Fontenellum mihi liceat recenſere; quorum alter quantam in penitioribus diſputationibus pertractandis gravitatem, tantam in amicorum coetibus ſuavitatem oſtendit; alter & ipſe ingenii acumine, ſolertiaque praeditus incredibili, quo lepore, qua feſtivitate praeſtaret, ex eo colligitur, quod ob id potiſſimum eum Pariſiis degentem pene omnes viri illius Urbis principes cognitione, atque hoſpitio dignum judicaverint.

Sed antequam Orationis vela contraham, quae tantam habet rerum copiam, atque amplitudinem, ut cum vel nonnulla dixerim, plura tamen videar praetermiſiſſe; eos in primis commonefactos velim adoleſcentes, quorum mentibus tam prava inſedit opinio otioſam in aliorum conſuetudine rationem vitae conſectandi. Non ſibi ſoli natos, & in lucem editos meminerint, ſeque injurios in alios eſſe, niſi aliquid ad eorum conferant utilitatem. Turpe, cum alibi, tum Romae praeſertim in tanta do-

ctrinarum luce, ubi saxa ipsa, ac rudera aliquo, ut ita dicam, eruditionis sensu informata videntur, se omni vacuos disciplina exhibere; Impium praeterea, ac flagitiosum, quid rerum omnium Opifici Deo, quid Patriae, quid Parentibus, caeterisque debeamus, quae doctrinae praesidio potissimum eruuntur munera, penitus ignorare. Animum denique humani generis rectorem, incorruptum, immortalem pati otio, summaque ignavia torpescere. Quae quidem omnia licet tanti momenti sint; ac ponderis, ut unumquemque facile ad litteras amplectendas allicere debeant; nihilominus si quis tam parum de sua, ac de aliorum utilitate cogitans reperiatur, qui omnis expers doctrinae unam desideriorum metam in hominum consuetudine collocaverit, illud tandem intelligat, se quidem longe a veritate aberrare; cum ex iis, quae a nobis usque adhuc brevissime sunt disputata, compertum sit, eos, qui hominum consuetudine dumtaxat uti volunt, & in hac vitae urbanitate versari, si modo velint aliqua ex parte liberaliter vivere, litterarum praesidio omnino indigere.

ORA-

ORATIO SEXTA

DE POESI A FALSIS CRIMINATIONIBUS VINDICATA.

SAEpe miratus ſum, Auditores, quid eſſet, quod graviſſima jamdudum inveteraverit quorumdam hominum querela, tum in Artis poeticae ſtudium, cum in ejuſdem Praeceptores vel publicos, vel privatos, qui adoleſcentes in illa erudiendos ſuſcipiunt. Quae quidem vel jure aliquo, vel odio, & ſimultate eo progreſſa eſt, ut illam, tamquam teterrimam peſtem, e litterarum Republica eliminare velle videantur. Obſtrepunt videlicet (experti debemus ſcire) quotidie noſtris auribus ſatis multi, ac praeſertim diſcipulorum parentes, nihil ſua intereſſe quantum filii in poetica, ſed quantum in oratoria Arte proficiant; hanc ſibi cordi eſſe, illam contemnere; nihilque antiquius habere, quam ſi per nos illi, ceu rude donati, e poetico ludo dimoveantur, ut liberius, quemadmodum ajunt, caſtigatam, germanam-

que aſſequi poſſint latinitatem. Quod ſi flagitantibus vel inviti ſuffragemur, hilares, officioſique diſcedunt; & ſibi, filiiſque ſuis, veluti de parta victoria, palam gratulantur. O incautas hominum mentes! O calamitatem Poeſis non ferendam! Quo igitur Ars praeſtantiſſima confugiat, tot undique imperitorum vocibus laceſſita, tot ſaevientium injuriis profligata, tot debacchantium querelis interdicta? Luctu, & macie confectam videre jam videor, nullum priſtinae dignitatis ornamentum praeſeferentem, anxiam, trepidamque haerere; modo conſpectum hominum fugientem in tenebris, & incultu deliteſcere, modo huc illuc tacite vagari, ſuppliceſque manus tendere, ne indicta cauſa turpiter condemnetur. Ad veſtrum tandem aliquando ſinum videtur confugere, Auditores, ut extorrem, ac pene jacentem ſublevetis. Vos orat, & enixe obteſtatur, ut quam ſemper coluiſtis, ejuſdem defenſionem ſuſcipiatis, & ab hoſtium impetu vindicetis. Jam vero quoniam hi graviſſima in eam crimina ſe conflare gloriantur, in ſolemni hac ſtudiorum inſtauratione, ea ad trutinam revo-

revocare, & pro viribus refellere contendam; Quae tamen ſapientiſſimo judicio veſtro ſubjicienda cenſeo, ut quid in hac cauſa judicandum ſit, libere ſtatuatis.

Plura licet ſint, quae ab Artis poeticae obtrectatoribus in eam objiciuntur crimina; praecipua tamen ad haec duo, ni fallor, facile referri poſſe videntur. Ajunt enim primo Adoleſcentium mores poetarum lectione, & interpretatione quam maxime corrumpi; deinde hoc ſtudio diſtentos in caeteris diſciplinis non mediocriter retardari. Magni ſunt haec momenti, Auditores, quae ſi ita eſſe fateamur, actum de omni Poeſi, quae jure merito Adoleſcentibus praeſertim interdicatur neceſſe eſt. Quid enim minus ferendum, quam morum, quibus enixe ſtudemus, integritati obeſſe, & per quos minime decet, vitiorum fomites, ac illecebras ſuppeditari? Quid dementius, quam unius artis ſtudio in caeteris, quae plus habent ponderis, ac praeſidii, ampliſſimis diſciplinis ingenia pati per ſocordiam hebeſcere? At enim quoniam adoleſcentium mores, quibus apprime conſuli fas eſt, in

diſcrimen adducunt; puto, dum poeſim nominant, hujuſce Verbi vim, & interpretationem in primis diſquiri, atque expendi oportere ad rem totam apte, riteque dijudicandam. De illa ne ſermo eſt, quae vel inania, vel turpia continet paſſim, vel flagitioſa? Eam ne, quae ſolet floſculos tantum, inanemque verborum ſonitum praeſeferre, intuſque incluſum, velut herba latentem anguem, teterrimum venenum, uno hauſtu bibendum exhibere? vel quae laſcivientibus rythmis adoleſcentium mentes allicere, irretire, ſenſuum latebras pervadere, cereis in vitium flecti nullo delendam tempore maculam aſpergere? vel quae demum invidiae labe corrupta in aliorum factis, vel dictis acriter carpendis gaudet impudentiſſime verſari, viruſque acerbitatis venenato calamo evomere, Poeſim appellabimus? Faceſſat, ſi fortaſſe irrepſerit, longe noſtris finibus poeſis hujuſmodi, & tamquam horrendum, inviſumque omnibus monſtrum, non a juvenum modo, ſed virorum quorumcunque oculis, animiſque propulſandum, vel ad tartara detrudatur, vel in priſtinas illas regiones, caecaſque

caſque latebras, a quibus nobis imprudentibus erupit, iterum conjiciatur. Faceſſant ejuſdem cultores, ſi qui ſunt, qui dum Petrarchae ſcriptis, quaſi quibuſdam ſacris initiati, amatoriis nugis delectantur, id perficiunt, ut artem nobiliſſimam in ſocietatem criminis adſciſcant.

Eam igitur poeſis nomine digniſſimam honeſtiſſimus quiſque mecum judicabit, quam Majores noſtros acri judicio, ſapientiaque praeditos in amore, & in deliciis ſemper habuiſſe compertum eſt; quam veluti Supremi Numinis donum de Coelo delapſum, ut mortalium mentes ab imis, terreſtribuſque ad altiora erigerentur, ſemper coluerunt, poſteriſque ſuis ſumma cura, diligentiaque fovendam tradiderunt; eam, quae vel in condendis legibus, vel in naturae arcanis pandendis, vel Regnorum, ac populorum inſtitutis, vel Ducum, Regumque vicibus explanandis, vel in morum regulis, ac diſciplina tradenda olim verſabatur. Licet enim quandoque lepidis commentis ſolertiſſime excogitatis redundaret; ea tamen pollebat ſapientia, ut ſemper in iis virtutis decori, at-

que amplitudini vitiorum turpitudo facile concederet. Eam, quae Heſiodo, Orpheo, Lino, & Amphione ducibus, auctoribuſque praeſtantiſſimis ferocientes homines, mutuiſque inhiantes caedibus prima compeſcuit, ac delinivit, nulliſque innixa praeſidiis in illud totius orbis non hominum, ſed ferarum domicilium auſa eſt quaſi in arenam deſcendere; incultum, effraenatamque libidinem impune debacchantem ubique inſectari, imminuere, labefactare; paſſim degentes, palanteſque in ſocietatem vitae blanda litterarum, & vocum communione convocare; aureamque aetatem, pacem ſcilicet, quod optatiſſimum inter mortales eſt, collatis ſignis inſperatam referre. Tam enim ardentes amores excitabat ſui, ut nemo non ejus vi, poteſtateque ſe victum fateretur, neque ei reluctari nefas judicaret. Eam, quae Philoſophiae parens ſemper habita fuit, quippe quae, cum ſit *grata parum, nec ſpecioſa Dea*, emollienda quodammodo fuit; Hinc ne primo ſtatim aſpectu ad ſeveritatem compoſita fugaret homines, aut deterreret, divinae poeſis opem efflagitavit, atque ita *lenibus attentas*

tentas numeris defluxit in aures mollius. Eam igitur, cujus nomen, teſte Tullio, tam ſanctum ſemper habitum fuit, ut nulla unquam barbaria violarit, noſtris hiſce temporibus vanis nonnullorum opinionibus, aut querelis perculſi negligemus, ejiciemus, propulſabimus?

Aſt, inquiunt, nihil de origine, aut dignitate ſolliciti ſumus; ſit ars cunctis nominibus praeclariſſima; illud tamen inficiari nequit pleroſque adoleſcentium a poeſi, & poetarum lectione facile poſſe vel aperta, vel ſubrepente vitiorum illecebra irretiri. Ita ne vero? Quod eorum naturae, quod ingenio malo, pravoque, quod minus integris vel domeſticis, vel alienis inſtitutis, id artis nobiliſſimae vitio tribuetur? Non enim novum nobis, atque inuſitatum, inter frequentiſſimos adoleſcentes aliquem perfrictae frontis reperiri, qui, licet poeſim ne a primo quidem limine ſalutarit, vel dubia quandoque, aut non caſtigata Poetarum loca impuriſſimo ore ad improbiſſimum ſenſum pro libidine detorqueat. Non igitur ab arte poetica corrumpuntur, qui jam corrupti accedunt, plurimos dein corrupturi, ni confeſtim

feſtim ab aliorum ſocietate divellantur. Verumtamen per veſtram fidem, quid tam utile, atque opportunum eſt hominibus, quo non aliquis turpiſſime abutatur? Conjiciemus ne igitur aurum, ſummi materiem mali, in proximum Tyberim, vel terrae viſceribus occludemus, quod ad explendas animi libidines nonnullis fuerit, futurumque ſit in poſterum incitamento? Ferrum ne ad humanae vitae uſum apprime accomodatum exſtirpabimus, aut fodinis intactum relinquemus, latronibus in dies ad miſerorum caedes impune graſſantibus? Quae quidem ſi ſumma voluptate retinemus, quin peſſima nos nonnullorum ratio, conſuetudoque afficiat; cur artem tam optime de omnibus meritam, erga eos adoleſcentes nimium ſolliciti, diligenteſque, qui vitiis jamdiu irretiti in perniciem ruunt voluntariam, caeteris ingenuis interdicamus?

Quid autem ſi hanc non ſolum nihil moribus officere, ſed vehementer prodeſſe contendam? Satis hoc ad hominum querelas penitus dirimendas eſſe arbitror. Cauſae vero bonitate fretus intelligo difficilius mihi fore exitum, quam prin-

principium invenire. Cum enim ſcholaſtica hac palaeſtra ſtatis diebus Virgilio, Horatio, aliiſque melioris notae Auctoribus interpretandis operam damus, nihil mehercule intentatum relinquimus, ut iis, quae minus caſtigata, aut integra ſunt, omiſſis, nobiliſſima quaeque tantum, & honeſtiſſima teneris adoleſcentium mentibus ſedulo addiſcenda exhibeamus. Quae autem, quotque, proh Deus immortalis! virtutum exempla paſſim occurrunt ſplendidiſſima! Hinc enim fidei, amicitiae, patrii amoris vis commendatur; illinc vitiorum, cupiditatum, flagitiorum exprobratur turpitudo, & ſummorum virorum virtus, quaſi poſteris lumen, imitanda proponitur; Ut quemadmodum a teneris unguiculis recti, honeſtique ſemina mentibus hominum jacienda ſunt; ita nihil ad hoc poetarum lectione accomodatius potuit excogitari. Quis revera non in patriam amore rapiatur flagrantiſſimo, cum Decios, Curios, Regulos, Catones, Paulos magnarum animarum prodigos in ea defendenda occubuiſſe intelligat? atque ita intelligat, ut non tamquam anile deliramentum ejus leviter auribus obſtrepere;

pere, ſed egregia facinora pictis coloribus expreſſa ante ejus oculos verſari videantur. Quis in parentes charitate non inflammetur, cum Trojanum Ducem incenſae patriae flammis patrem vindicantem, humeriſque ſuſtinentem palam intueatur? Quis non odio ſcelus, ſceleſtoſque proſequatur graviſſimo, cum Oreſtes vel Alcmaeon ſibi obverſentur criminis conſcientia, ceu taedis furiarum ardentibus, immaniſſime excruciati? Non deſunt quippe fraudi ſupplicia, neque praemia virtuti. Quare cum infectae plerumque adoleſcentium mentes vulgi opinionibus, improborum exemplis, quàſi coeno involvantur; quid hoc ſtudio opportunius, ut, propoſitis hiſce ſummorum virorum exemplis, perſpectis paſſim, atque explicatis Philoſophorum, Sapientiumque inſtitutis, voluptatem corporis, animique peſtem abjiciant; & nobis ducibus, facemque iis praeferentibus, intus abditos virtutum igniculos aliquando ſentiant erumpere? Multis enim, ac diuturnis exemplis, praeceptisque facile honeſtae vitae ratio componitur eoque facilius, quod, addita carminum ſuavitate, altius ea ad bene viven.

vivendum inſtituta teneris adhuc mentibus defiguntur, quae caeterum ſolent eſſe cum gravitate, ac ſeveritate conjuncta.

Dies vero, non rerum copia, me deficeret, Auditores, ſi hanc cauſam auctoritatibus confirmandam putarem, ut hujus artis praeſidio optimae juvenum inſtitutioni mirifice conſuli, omnibus eſſet exploratum. Non hic in medium afferam Ariſtotelem, qui eoſdem Poetas, ac Theologos fuiſſe commemorat, ſacrarum videlicet religionum antiſtites, & omnis ſanctitatis auſpices, atque cuſtodes. Non Strabonem, qui probitatem, integritatemque omni tempore Poetarum propriam, ac praecipuam fuiſſe teſtatur. Non Platonem, qui in Cratylo rerum omnium doctores poetas appellat. Qui certe ſi ex ea civitate, quam omnium optimam effinxit, poetas longe removit, nil poeſi detraxiſſe viſus eſt, quin etiam cumulatiſſime ejus laudem cum omni poſteritate adaequaſſe. Id enim Vir ſapientiſſimus animo ſtatuit, nihil Medicis, nullis ſcilicet poetarum inſtitutis, in ea Civitate opus eſſe, ubi ſinguli bene valentes, ac conſtituti fingerentur. Neque

que aliter ſe res habet; Licet enim poeſis obtrectatoribus, qui ad ejus dignitatem labefactandam hunc unum fortaſſe Platonis locum oſtentant, nobiſque fucum facere gloriantur, divinum hominem poetas e Republica expuliſſe ultro concedam; de iis tamen dumtaxat, qui pravi, morumque corruptores ſunt, ſermonem habuiſſe contendo. Nam cum optimi viri totius antiquitatis memoria poetae fuerint, vitaeque magiſtri, cumque plurimis in locis idem Plato laudum monumentis ipſos extulerit, num ſibimet tam turpiter eum refragatum eſſe arbitrabimur? Teſtis vero mihi ſit, in quo robur firmiſſimum cauſae accedit, Auguſtinus ille, Religionis noſtrae columen, idemque doctiſſimus, qui a Poetis ſe utilia multa didiciſſe apertiſsime clamat. Teſtis Nazianzenus, teſtis Paulinus (egregios plane viros, & probatiſsimos!) qui ſemper illius artis coluerunt monumenta, in qua ipſi plurimum valuerunt, quod ab illis nequaquam perfectum eſſet, ſi vel minimum hinc a virtute potuiſſent avocari. Obmuteſcant igitur, ſi qui ſunt, qui, falſis in poeſim criminationibus minime

nime diſcuſsis, de arte praeclariſsima, & morum pene dixerim, diſciplinaeque magiſtra tam prave ſentiunt. Intelligant per eam facile poſſe adoleſcentes a recto tramite aberrantes ad bonam frugem reduci, debiles, nutanteſque componi, bonos confirmari. Intelligant tandem aliquando nos eorum inſtitutioni devotos, ut ſaluberrimis bene moratae vitae praeceptis mature imbuantur, apprime eſſe ſollicitos, cum caeteris nominibus, tum eo praeſertim, quod in Scholaſticis muneribus obeundis ſolertia, labor, docilitas, caeteraeque artes ad percipiendum idoneae cum integritate, modeſtia, atque continentia ſolent mirifice convenire.

Sed jam ad alteram orationis partem contento ſtudio, curſuque veniamus. Non enim negligenda eſt, quae in poeſim deinde conjicitur criminatio, eam in caeteris graviſsimis diſciplinis non mediocriter Adoleſcentes retardare. Quod an recte ab obtrectatoribus ſtatuatur, necne, antequam ad trutinam revocemus; neminem veſtrum latere arbitror, Auditores, praeceptorum curam in eo maxime ſitam eſſe oportere, ut in perage-

ndo

gendo ſtudiorum curriculo Adoleſcentes ſudoris plurimum, improbique laboris impendendum eſſe plane ſibi perſuadeant, ſine quo fruſtra ſcholaſtica ſubſellia contriverint. Aſt proh rem calamitoſam! Quantum horum plerique, vel nugarum, vel cupiditatum illecebris, vel ingenii mobilitate abſtracti laborem faſtidiant, oderint, averſentur, utinam non ipſi experientia edoceremur. O igitur de omnibus litteris egregie meritam poeticam facultatem! Quid te delectabilius? Quid dulcius? Quid amabilius? Quae ſermonis, & elegantiae ſuavitas! quae imaginum vis! quae rerum concinnitas! qui lepos! quae venuſtas! quae ſententiarum gravitas! quod acumen in poetarum inventis reperitur? Tu perennis jucunditatis fons, & origo, ita rerum varietate vel deſides, oſcitanteſque permulces, ita vera falſis miſcendo imaginibus delectas, ita commentis, ac leporum feſtivitate rapis; ut veluti ſomno exciti ad tuum ſinum ſtatim confugiant, ubi artis pulcherrimae venuſtate illecti labori ſeſe libentiſsime adjiciant. Quod ignaviae ac deſidiae concedebatur temporis, muta-

ta

ta jam voluntate, curae, diligentiae, labori, librorum lectioni traditur, cum quibus antea odio penitus insito, & diuturnitate confirmato bellum nescio quod ab iis susceptum esse videbatur. Hinc si jacentes nutantesque poesis amor erigit, atque sustentat; quanto studio navos, industriosque ad laborem magis magisque amplectendum inflammare debeat, vos ipsi conjectura facile assequi potestis. Quoniam vero ea est optimarum artium ratio, ac natura, ut arctissimo quodam vinculo, & cognatione quadam inter se contineantur; cui superest dubitandi locus, quin ubi semel laboris, ac industriae amor adolescentis animum occupavit, in caeteris quoque disciplinis, quarum necessitatem, dignitatemtemque perspectam habet, pari contentione assequendis insudet? Cum praesertim eam habeat poesis vim, & opportunitatem, ut, nedum a caeteris ampliſsimis facultatibus retardet, iis praesto sit, & ad optimum studiorum cursum auspicandum perficiendumque validissimum afferat praesidium.

Quid enim, quaeso, bonae artes, quid sine poesi penitiores quoque va-

leant disciplinae? Quae doctissimorum hominum scripta? quod opus litteratorum suffragio comprobatum invenietis, quod poeticam facultatem non passim redoleat? Unam tantum artem oratoriam juvat attingere; ad quam nostri homines assidua exercitatione liberos informandos esse, eademque semper incude contundenda ingenia gravi supercilio pronunciant. Dicenda profecto sunt omnia, quaecumque ea sint, explicanda, exornanda; sed ita exornanda, ut homines non solum audiant, verum etiam libenter, studioseque audiant; Quare omnia necesse est dilucide, & quandoque vivis, spirantibusque coloribus exprimantur, ut audientium animos percellant. Ast undenam nisi a poesi, poetarumque lectione verborum apparatus, elegantiarum supellex, sententiarum vis, troporum venustas, & rerum varietas eruitur? Quae omnia non gravem modo, sed & ornatam, & copiosam orationem perficiunt. Ita sane ne Tullio quidem Oratorum maximo suppetebat, quemadmodum is pro Archia Poeta de studiis humanitatis, ac de poesi praesertim disserens libere fatetur, quod

quo

quotidie diceret in tanta varietate rerum, niſi animum ſuum doctrina excoleret; Quo quidem teſte ad poeſis laudem, utilitatemque evincendam, quid magnificentius dici poſſit non video. Revera ſi jejune res exponantur, licet verae ſint, & ad cauſam firmiſsimae, neque apud Auditores mentis aciem perſtringent, neque prout res poſtulat, animi motus vel gaudii, vel moeroris, vel ſpei, vel ejuſmodi, in quo eloquentiae vis ſita eſt, excitabunt. Videas neceſſe eſt hinc haerere ſaepius dicentem, vel verborum inopia laborantem, vel elegantiae floribus deſtitutum humi ſerpere, vel anxium fruſtra ea quaerere adjumenta, quae juveni haud poeticae facultatis ignaro exercitationis diuturnitate multa, & validiſsima ultro ſolent occurrere; Illinc Auditores, taedio affectos conqueri, obſtrepere, dormitare, aut diſcedere inornatam, & languidam orationem impares diutius ſuſtinendo.

Dum autem haec diſputo, exercitationemque Poeſis Oratori non utilem modo, ſed etiam neceſſariam ſtatuo, nolim id a me ex induſtria conflatum eſſe arbitremini, quaſi velim huic arti,

ejuſque cultoribus velificari. Nam praeter Ariſtotelem, alioſque, quos duces, auctoreſque hac in re habemus; Quintilianum, & M. Tullium laudatum antea conſulite; quorum alter poeſim idcirco adoleſcentibus in ſingulis diſciplinis inſtituendis commendatam voluit, quod ab ea & in rebus ſpiritus, & in verbis ſublimitas, & in affectibus motus omnis, & in perſonis decor petitur; alter ad Oratoris perſonam pro dignitate ſuſtinendam, non minus poetas, quam oratores legendos eſſe apertiſſimis verbis non faſſus eſt modo, ſed reipſa comprobavit. Quis enim non admiretur, vel parricidarum ſupplicium deſcribentem, ut S. Roſcium virum optime inſtitutum a ſuſpicione criminis removeret, vel poetarum vim beſtias quoque immanes cantu flectentium referentem, ut Archiam in civitate retinendum oſtenderet, vel P. Clodium ab inferis excitantem, qui tumultu, caede, ac flammis Remp. iterum peſſumdaret, ut Milonem illius peſtis interfectorem non poena, ſed praemio afficiendum confirmaret. Quod autem praeterea huic ſtudio accedit commodi, nemo aſſequi dicendo poteſt. Non enim inde verborum orna-

ornatus, & copia, aut ſententiarum vis, quod ipſum grave eſt, dumtaxat eruitur; ſed omnigenae quodammodo eruditionis fontes a poetarum ſcriptis hauriuntur. Quid quod Lollius ille apud Horatium, *quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non, plenius, ac melius Chryſippo, & Crantore dicit*? Quid quod Joppas ille apud Virgilium *canit errantem Lunam, Soliſque labores? unde hominum genus, & pecudes, unde imber, & ignes*? Ut nihil de vitae diſciplina tam arduum ſit, nihil de naturae arcanis tam abditum, & ſalebroſum, quod poetarum monumentis non fuerit conſignatum. O divinum igitur; & numquam ſatis praedicandum Poeſis ſtudium! Cujus praeſidio non modo creſcit haec oratio, & facultas dicendi, ſed etiam uberrimam eruditionis ſegetem, multarumque diſciplinarum praecepta Adoleſcentes libentiſſime addiſcunt, quae fortaſſe nunquam addiſcerent, niſi carminum ſuavitate adjuvarentur.

Aſt quae adhuc a me ſunt pro viribus diſputata, in oratione mea non pono, Auditores; infirma ſane ſint, nulliuſque momenti ab hujus artis oſoribus habean-

tur. Nihil illos ipsa Poesis dignitas, nihil laboris amor, quem in adolescentibus ultro excitat, nihil honesta vivendi ratio, quam tradit, nihil ad caeteras disciplinas praesidia, quae suppeditat, moveant. Verumtamen nihil ne apud illos Majorum consuetudo longo intervallo repetita, atque relata valebit, qui nihil in adolescentibus informandis antiquius habuerunt, quam ut hi in poeticam facultatem sedulo incumberent; probe callentes hinc, dummodo ratio, conformatioque disciplinae accedat, fructus non poenitendos proficisci? Neque eorum auctoritati suffragemur? nec consilio acquiescamus? nec pareamus consuetudini? Adhuc ne ab ampliſſimis disciplinis juvenes per hanc artem retardari temere, atque inconsulti queramur, cum potius calcaria addi ipsorum Majorum suffragio comprobetur? Quorum laudibus, utpote litterarum omnium parentum, ac principum, si jure merito invidemus, oportet etiam, ut instituta, legesque sanctiſſimas nobis imitandas proponamus.

Illud tandem reliquum est, ut vos alloquar, ingenioſi adolescentes, vehemen-

menterque adhorter, ut omni ſtudio, cura, diligentiaque poeticam artem excipiatis, ametis, amplectamini; non vero illam inanem, vel ſcurrilibus, vel amatoriis nugis redundantem, quod cum cuilibet, tum aetati veſtrae turpiſſimum eſt; ſed illam gravem, validis innixam principiis, & ad omnem honeſtatem conformatam, qualem & alibi, & in publicis hiſce Gymnaſiis vobis tradi videtis. Non effraenata quaedam ſcribendi licentia, ſed modus, & continentia, quas ultra nequit rectum conſiſtere, praecipua ſunt poeſis ornamenta. In quo ſi quid nonnulli inter veteres peccarunt, deſunt ne, quos eligatis, probatiſſimi? Deſunt ab omni labe eorum ſcripta feliciter expurgata? Haec caeteris poſthabitis nocturna verſate manu, verſate diurna, quorum jucundiſſima lectione, & voluptate animus expleatur, & artium nobiliſſimarum ſtudio relaxetur, & uberrima eruditionis ſegete excolatur. Quod ſi ab hac non ſolum animi remiſſione humaniſſima, & liberaliſſima, ſed omnium diſciplinarum fonte, vos nonnulli vel partium ſtudio, vel imprudentia abſtraxerint, aut retardarint; unuſ-

quiſque, prout vult, accipiat. Ego vero arbitror, quam vos eorum opinioni jure ſuffragemini, infirmandam prius eſſe omnium ſaeculorum conſuetudinem, qua Poeſim inter Graecos eidem deditiſſimos adoleſcentibus per omnem aetatem commendatam ſcimus; inter Romanos vero aurei aevi Scriptores Poetas principem locum obtinuiſſe conſtat; Negligendum ſapientiſſimorum hominum conſilium, qui excuſſa barbarorum temporum caligine ad jacentes, profligataſque artes excitandas, nihil accommodatius duxerunt, quam ſi per eos, uti Diis volentibus perfectum eſt, caeteris poeſis praeluxiſſet; Revocanda aetatis ferreae portenta, qua frigida, enervis, inornata, & etiam lutulenta vigebat oratio, qualem in quibuſdam adoleſcentibus poeticae artis oſoribus ineſſe oportere, experientia edoctus confirmo; Extinguendam demum eam famae celebritatem, qua tot Academiae, tot Gymnaſia, tot eruditiſſimorum hominum coetus poeſis cuſtodes, adſertoreſque de univerſa litterarum Rep. optime meriti praeſtiterunt, cum ubique gentium, ac locorum, tum Romae praeſertim, in hoc

hoc disciplinarum omnium domicilio, ubi nuper Arcadiam poeticae artis vindicem, ac patronam, eximia illius, ad quem spectat, sedulitate, atque ingenio, ad pristinum decus, dignitatemque evectam esse jure optimo gratulamur.

ORATIO SEPTIMA

NULLA PLENIOR FELICITAS, QUAM QUAE LITTERIS COMPARATUR.

EA est mortalium omnium conditio, Auditores, ut quotquot in hac pulcherrima rerum universitate versantur, ad felicitatem singuli, veluti ad unam desideriorum metam, comparandam totis viribus contendant. Quae quidem tam ardentes amores excitat sui, & nullo non tempore per omnes vitae difficultates, offensionesque ita vim suam exerit vehementer; ut non temere, non leviter, aut casu, sed arctissimo quodam naturae vinculo ejusmodi cupidinem unicuique inditam esse, atque inhaerere planum sit. Cur enim tantopere Maris aestuantis periculis se objiciunt Nautae, quin syrtibus, aut concitatorum turbinum impetu deterreantur? Cur in ferendis Legibus, ac vindicandis Magistratus in tot impiorum hominum corporis, animique dimicationes ultro incidunt, ac simultates? Nisi ut hi tandem senescen-

ſcentes optato otio cum dignitate perfruantur, illi mercibus exportandis eam nummorum vim congerant, qua large, effuſeque vitae commodis conſulentes aetatem poſſint felicem traducere. Neque caeteros commemorare oportet, qui aut in re bellica, aut in agris colendis, aut in privatis, publiciſque negotiis obeundis verſantur. Prout enim alii aliud iter natura oſtendit; in hac tanta munerum varietate nemo unus reperitur, qui, uti cujuſque ingenium, ac res poſtulat, ab hac ratione diſſentiat. Quin id plerumque fieri videmus, ut vel avari Chremetes humi theſauros occultantes unam inter moleſtias vitae ſponte ſuſceptas felicitatem prae oculis ſe habere jactitent; licet prava cupidine abrepti nunquam ſint illam in poſterum aſſequuturi. Gliſcit videlicet haec per hominum mentes, ſenſuumque latebras omnino pervadit; Et uſque eo ſolet animos allicere, ut de laboribus, vigiliis, ſimultatibus vel graviſſimis, quas homines ſubeunt, dummodo voti compotes fiant, ſibi plurimum detrahi uno ore fateantur. Aſt neſcio quonam fato contingat, ut in ſuſcipienda ſtudiorum ratio-

tione pauci admodum reperiantur Adoleſcentes, qui eam, quae a Litteris uberrime proficiſcitur, felicitatem reſpiciant. Vel enim natura ſua laborem averſantes, quo ſine nihil unquam a Diis immortalibus conceſſum eſt, vel ſcholaſtici muneris taedio affecti, vel otio, blanditiiſque diſtracti, arbitrantur, & plerumque palam queribundi ſe omnium praedicant infeliciſſimos. Ita ne vero? Quam tantopere in rebus agendis caeteri ſaepius opinionum pravitate decepti aucupantur, certoque ſibi proponunt adepturos eſſe felicitatem, eam imperiti adoleſcentes Litterarum cultoribus ſublatum iri exiſtimabunt? Quae quidem opinio tam longe a veritate aberrat, ut operae pretium hodierna die me facturum exiſtimem, ſi nullam neque tutiorem, neque pleniorem, quam quae Litteris comparatur, exiſtere poſſe felicitatem contendero. Colligite ergo voſmet, adoleſcentes, & ea, quae dicturus ſum, etiam, atque etiam animadvertite. Quemadmodum enim in vulgaribus quoque artibus homines in id incumbunt vehementius, in quo ſe poſſe plenius fortunari arbitrantur; Ita vos

Lit-

Litteratorum hominum felicitate perſpecta omnem plane ſollicitudinem, diligentiamque ad eamdem aſſequendam libenti animo adhibituros confido.

Dabo equidem, Auditores, primo Orationis exordio hominem Majorum imaginibus clarum, firmitate corporis validum, divitiarum copia pollentem, domo magnificentius inſtructa ornatum ſibi facile vel popularium animos auctoritate, vel aliorum largitate, humanitateque ita poſſe devincire, ut fortaſſe ſe beatum fore ſatis exiſtimet. Dabo honores, magiſtratus, clientelas Civibus minime eſſe contemnendas. At enim quis in eo veram, ſolidamque felicitatem ſitam eſſe arbitretur? Quis adeo rerum ignarus reperietur, qui putet in hiſce vitae bonis poſſe animum expleri, ac veluti pacatiſſima quadam ſtatione conquieſcere? Siquidem, ut experientia rerum magiſtra edocemur, nonne cum metu, cum ſollicitudine, animique perturbatione ipſamet illorum poſſeſſio ſolet eſſe conjuncta? Quae bona idcirco plerumque etiam aſſidue percepta faſtidium, ac ſatietatem pariunt, quod non veram mortalibus voluptatem, ſed ſpeciem

ciem tantum voluptatis praetendunt. Dies autem me deficeret, Auditores, ſi quot aerumnis, quot calamitatibus, quot viciſſitudinibus vita hominum, qui ſe felices praedicant, obnoxia ſit, aut Oratione complecti, aut enumerando vellem percenſere. Ex hac enim parte nonne vel Caeli inclementia, vel morborum acerbitas, vel corporis imbecillitas optatiſſimam nobis quandoque eripiunt valetudinem? Nonne hinc tempeſtatum vis, frugum charitas, incendiorum furor opes vel maximas ſubvertunt, & familias proterunt fundatiſſimas? Illinc Civium contentiones, inimicorum audacia, amicorum proditiones de priſtino dignitatis gradu pleroſque deturbant; hinc livor, & invidia pervadunt; illinc propinquorum diſſidia, exprobrantium voces irruunt, ac ſimultates. O ſingularem igitur illius dementiam, qui hujuſmodi bonorum illecebris irretitus ſeſe penitus ab iis tranſverſum agi patiatur. Non intelligit haec fortunae munera idcirco appellari, quod penes nos conſiſtere ſemper nequeunt, ſed inſtar ventorum, qui nunc ad Ortum, nunc ad Occaſum vergunt,

gunt, quaquaverſum temere vagantur.

Intellexit id ſane Craeſus olim Lydorum Rex opulentiſſimus, qui infinitis copiis comparatis, maximis auri, argentique acervis exſtructis, terminis Imperii ſui longe, lateque prolatis ſe perbeatum exiſtimabat; intellexit, inquam, cum ſolio miſerrime ſe Cyri virtute exturbatum, viribus jacentem, ac profligatum, & ad exſtrema redactum eſſe, animadvertit. Intellexit Tigranes ille potentiſſimus, qui in ſuperbiam elatus Regis Regum nomine tantopere geſtiebat, quod eorum nonnullos bello ſuperatos, uti famulos, magno dignitatis probro catenis devinctos teneret; deinde vero eo calamitatis devenit, ut vitam ſupplex incolumem ad Pompeji pedes contra decus regium provolutus expoſcere cogeretur. Quorſum autem haec diſputo, Auditores? Quorſum? Ut unicuique perſpectum ſit, nihil ſolidum, aut permanſurum in hiſce fortunae muneribus reperiri, quod vere bonum dici poſſit, quo quis ſuae, nedum aliorum felicitati, ſatis conſuluiſſe arbitretur. Quid ergo? Una, una eſt doctrinae laus, unum eſt ſapientiae bonum, quod

quod a Litterarum ſtudiis veluti quodam fonte dimanans, veram, ſolidamque hominibus gignit felicitatem. Caetera neque temporum ſunt, neque aetatum omnium, neque locorum; ita ut, quemadmodum inquit Tullius, maximam eorum partem quaſi jure ſuo fortuna ſibi vindicet, in ſocietatem gloriae ſe offerat, & rerum humanarum ſe Dominam eſſe glorietur. Hoc autem quantuncumque eſt, quod certe maximum eſt, tam longe abeſt, ut fortunae ſubſit, quin etiam imperio ſuo eamdem obſtringit; ſapiens enim, ut inquit Seneca, *fortunae dominatur*, *iratam temperat*, *ſecundam moderatur*.

Unde igitur in tanta eorum, quae ſe ad dicendum offerunt, copia potiſſimum exordiar, quae ſimul conjuncta ad cumulatam iter felicitatem expeditum communiunt? An ab ea voluptate, atque oblectatione, qua virorum doctorum mentes ita perfunduntur, ut ubi nobiliſſimarum artium ſtudiis, quaſi quibuſdam ſacris, fuerint initiati, rei familiaris curam, corporis remiſſionem, vitae quoque pericula penitus negligant? Maxime enim ad ſtudium honeſtarum rerum

rum incitantur homines, ſi animadvertant eſſe eas veriſſimarum voluptatum procreatrices. Non hic Xenocratem, non Cleanthem commemorabo; quorum alterum adeo invicto animo adverſus cupiditatum illecebras fuiſſe conſtat, ut a Litteris nunquam commodo, otioque, abſtrahi, nunquam ludis avocari, ſomnoque vel minimum ſe retardari pateretur: Alterum eruditioni, rerumque cognitionibus ita mentem adjeciſſe, ut ab hiſce nec ingenti labore, neque anguſta paupertate potuerit unquam deterreri; Non Anaxagoram ampliſſimas Amicis opes elargientem, ut liberius Philoſophiae vacaret; Non Megarenſem hominem noctu commeantem Athenas capitis periculo, ut philoſophantem Socratem audiret. Teſtis mihi prodeat unus Archimedes Syracuſanus, quem non captae excidium patriae, non hoſtium, ubique vagantium furor, non tubarum clangor, non armorum ſonitus, non civium perditorum luctus, non denique inſtantis mortis periculum a jucunda ſtudiorum oblectatione potuit dimovere.

An deinde Litterarum ſplendorem, & pulchritudinem perſequar, quae tan-

ta ſunt, ut ad comparandam nominis gloriam nihil firmius, nihil validius reperiri unquam poſſe videatur? Atque utinam liceret mihi, quod Chronographi ſolent, ſuperiorem omnem memoriam jam inde ab ultima vetuſtate percurrere; Ita enim vobis fas eſſet, quantum omni tempore Litterarum, Litteratorumque decus, ac nobilitas fuerit, luce meridiana clarius intueri. At enim, ut Flacci verbis utar: *Nil moror exemplis, quorum me turba fatigat*: Cum neminem lateat Viros ſapientes, doctrinaeque ornamentis praeditos ea fama, ac celebritate clareſcere, quae non cum vitae tempore ſit dimetienda, ſed cum omni poſteritate adaequanda.

Verum eſto: Reperiantur nonnulli animo tam agreſti, ac duro, qui ea omnia, quae ingenuos animos ſolent magnopere commovere, penitus negligant. Alliciantur ſane rebus ſuis commodius conſulendi cupiditate, meliorique uti fortuna praeoptent, pauperiem *magnum opprobrium* impares omnino ſuſtinendo. Quammultos hic in medium proferre poſſem, qui a rei familiaris anguſtia, qua detinebantur, litterarum ope ſeſe expli-

explicuerunt? Quammultos, qui ex tenui, & exiguo patrimonio copiam divitiarum incredibilem congeſſerunt? Quammultos, qui ex humili gradu ampliſſimas cum nobilitate dignitates ſunt conſequuti? Satis eſt in re non dubia Hiſtoriarum monumenta pervolvere, & aeternitati jamdiu commendata nomina Socratis, Ennii, Euripidis, Eſchynis, Demoſthenis, Gorgiae Leontini, Senecae, aliorumque ad memoriam revocare, quorum dignitatem, res, ac fortunas Litteris neceſſe eſt fateamur acquiſitas, conſervatas, amplificatas.

Pudet vero me tam male Litteratorum hominum felicitati conſuluiſſe, dum haec fortunarum incrementa commemoro, quae tamen ſolent animos non mediocriter percellere. Faceſſat igitur vulgaris omnis Litteratorum laus, dum in rerum omnium cognitione perfectam, cumulatamque in eos derivare felicitatem contendo. Nihil profecto ardentius appetunt homines ingenui, quam rerum cauſas inveſtigare, naturae arcana detegere, quae ambagibus involuta ſunt evolvere, uno verbo veritatem in ſingulis perſequi. Quae quidem cogno-

ſcendi cupiditas non tacitis quibuſdam ſtimulis eorum animos acuit, ſed ita erumpente veluti flamma exagitat, ut quo plura mente fuerint aſſequuti, eo ſe beatiores arbitrentur. Quid ergo Litterati hominis felicitate cumulatius, cujus ſcientiam nihil vel arduum, ac ſalebroſum poſſit effugere? Magnine momenti eſt, quo pacto leges condendae, Reſpublica adminiſtranda, ſuum jus cuique ſit tribuendum, non ignorare? Litterati homines non ignorant. Majorisne momenti, qua ratione aeſtuantes popularium animi cohibendi, Patriae in diſcrimen adductae conſulendum, hoſtium inſidiae ſint detegendae, dignoſcere? Dignoſcunt. Maximine momenti, quibus artibus ſuis animi motibus fraenum injiciendum, Virtutis, honeſtatiſque ſemita amplectenda, fortunae ictus aequo animo ſint ferendi, intelligere? Intelligunt. Pleni ſunt enim omnes libri, plenae ſapientum voces, plena exemplorum vetuſtas. Quae omnia doctrinarum cultores dum ſemper prae oculis habent, non modo ſenſibus ea deguſtare, vel ad ingenium referre, ſed ad uſum facile poſſunt utilitatemque traducere.

cere. Quid praeterea jucundius, quam per omnem Antiquitatis memoriam libere vagari, Regnorum, & Urbium originem, exterarum Nationum vires, morum disciplinam, legesque percensere, communis aequitatis fontes, Civium jura, potissima Societatis vincula, mutua officia, rationesque perquirere, & nova veteribus conferre? Quid delectabilius, quam bonarum artium, ac disciplinarum Antistites habere familiarissimos? ac praesertim Litterarum omnium Parentem, ac procreatricem quamdam Graeciam tacite saepius admirari, e cujus sinu, tanquam ex Equo Trojano, mira virtutis, sapientiaeque portenta prodierunt? Quid blandius, quam apud Rhodios Ciceronem perorantem animo prosequi, & Molonem obmutescentem intueri, Patriaeque fatum complorantem audire, quod Tullio duce, & auctore pulcherrimae Artes, & Eloquentia, quae una supererant Graeciae ornamenta, Romam deferrentur? Quid dulcius, quam vel Anacharsi e Scythia in Graeciam venienti, vel Platoni e Graecia in Egyptum properanti, & in Italiam ad Pythagoricos Philosophos naviganti se nulla offensione comi-

tem addere ? Quid ſuavius , quam vel eumdem Platonem curru invectum , & Syracuſarum Tyrannum Dionyſium auri-gae miniſterio ultro fungentem proſpi-cere , vel Gn. Pompejum Poſſidonio ſa-pientiae fama celeberrimo laureatos ho-noris gratia faſces ſubmittentem , vel C. Caeſarem rerum omnium potitum , Cice-ronem , ſibi licet infenſum , omnibus a-moris indiciis amplectentem intueri ? Quid denique optabilius , quam Daeda-laeis veluti alis innixum aeria loca tuto percurrere , aſtrorum curſum dimetiri , tempeſtatum vices , rationeſque perſpe-ctas habere ? Huc etiam illud accedit , quod graviora Litteratum hominem mi-nime latent ; Scilicet immortalia quae-que in Coelis eſſe omnia, nihil infra, prae-ter animos noſtros , niſi mortale , & ca-ducum ; Mentem ſapientiſſimam , Deum videlicet , cunctis praeeſſe , rerum om-nium conditorem , ſcelerum vindicem , & in recte factis remunerandis benefi-centiſſimum . Proh Deum , atque homi-num fidem ! Nonne haec , & alia mul-ta , quae brevitati conſulens praetermi-ſi , ſatis ampla vobis videntur , Ado-leſcentes , ut Litteratorum omnium feli-

felicitatem pleniſſimam, & cumulatiſſimam eſſe fateamini? Ego enim, ut libere dicam quod ſentio, illud pro certo habeo immortalis Dei beneficio, & nec mediocri conſilio contigiſſe, ut inexpletum cognitionis, ſcientiarumque deſiderium noſtris mentibus indiderit, tanquam unum, ac ſingulare inter vitae aerumnas praeſidium, quo curſu nunquam intermiſſo ad optatae felicitatis portum tuto perduceremur.

Quid igitur immoramini, Adoleſcentes? Quid adhuc dubii eſtis? Haerentem, nutantemque animum unuſquiſque veſtrum confirmet, & in doctrinarum domicilium alacriter confugiat, in quo fructus non poenitendos ad beatitudinem colligat ſempiternam. Habent hae nimirum a voluptate, ac ſtabilitate, habent a gloria, & dignitate, habent a rerum plurimarum, & graviſſimarum cognitione, unde ſatis homines de parta felicitate, nullis fortunae vicibus obnoxia, & nunquam interitura, ſibi gratulentur. Quod ſi laboris, vigiliaeque cogitatio vos in ſuſcipiendo Litterarum curriculo peragendoque retardat; id ſe-

dulo reputate vobiſcum, altiuſque in animis defigite: abſque ſudore, & labore nullum opus perfectum eſſe, ἄνευ ἱδρῶτος καὶ πόνου οὐδὲν πρᾶγμα τέλειον; & magna praemia nonniſi magno, improboque labori eſſe propoſita.

ORATIO OCTAVA

DE ARTIS CRITICAE AMPLITUDINE, AC DIFFICULTATE.

NEſcio quanam humanae naturae imbecillitate contigerit, AA., nihil magis apud homines in deliciis ſemper fuiſſe, quam aliena graviter carpere, cum fortunarum, tum ingenii praeſertim munera; quaſi aliorum detrimentis, ac pernicie aſſurgere altius videamur; quoque plures peccant, ſplendidior quaedam nobis fiat laudis acceſſio. Serpit quodammodo, & in dies augeſcit bonorum omnium moerore prava hac debacchandi libido; quam utinam quibuſdam contineri limitibus, vel ſolum inter homines leviſſimos verſari videremus; nec multos etiam dignitate, boniſque artibus praeſtantes corrumperet, qui dum ſpecie recti falſum veritatis amorem praetendunt, aliena quaelibet ingenii monumenta dilacerare ſibi fas eſſe impune arbitrantur. Quod autem gravius eſt, nonne per veſtram fi-

fidem, ut quotidiana experientia edocemur, adoleſcentium mentes hac paullatim peſte imbuuntur? Et quoniam, ut inquit Tullius, nihil eſt tam volucre, quam maledictum, nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius diſſipatur; ita nonnulli imperitorum vulgo inhaerentes, ſi quae in lucem edita ſunt, vel ipſi temere palam audent corripere; vel etiam praepoſtera ſcriptis inclareſcendi cupiditate abrepti publice inſectari non dubitant; vel certe, ſi minus ingenio ſcriptoque valent, auribus arrectis, oculiſque inhiantibus Cenſorum hujuſmodi ſententias, tanquam oracula ex tripode pronunciata, *aequis accipiunt animis, donantque corona.* Quid plura? Eas perlegunt, amplexantur, diu noctuque pervolutant, & ore pleniſſimo bibunt. Bibe, & morere, improvide Adoleſcens! Poculo ſiquidem venenato ſemel exhauſto, nihil intentatum relinques, ut in poſterum, magna licet ingenii probitatiſque jactura, quod illi tantopere aucupantur, Critici nomen & ipſe aſſequaris. O rem ſane luctuoſam, & non ferendam! Occurrendum eſt igitur huic vitio, Auditores, ex-

exſtirpanda fallax haec e juvenum animis opinio, quae fortaſſe inveteravit, nullam doctrinae ſegetem, vel ſaltem tenuiſſimam, ad Artem Criticam afferri oportere; quaſi ea in jurgiis, in inſectationibus, in audacia poſita ſit; omnibuſque nulla habita ratione in aliorum ſcripta irruendi impune aditus pateat. Quo quidem cum nihil poſſit Litterarum Reip. perniciosius, nihil doctiſſimorum hominum auctoritati gravius, nihil artis nobiliſſimae dignitati injurioſius, nihil denique imbecillis adhuc mentibus periculoſius exiſtere; hanc veniam mihi concedite, ut veſtra fretus humanitate ad imperitorum arrogantiam pro viribus coercendam, quam late pateat Artis Criticae amplitudo, breviter inquiram.

Non ſum neſcius quoſdam reperiri mente prorſus deſtitutos, qui (ut nihil de iis dicam, qui mendaces, ac doloſi veritatem omnem pro libidine corrumpunt, fabularumque commentis permiſcent) dum ridiculas omnino, nulliuſque momenti quaeſtiones enucleandas ſuſcipiunt, inter Criticos ſe haberi contendunt. Quantum vero hi allucinentur, qui laborem ſane improbum ad nugas

gas traducunt, & nihil agere pulchrum, atque decorum putant, tum res ipsa, cum disciplinarum omnium gravitas, & amplitudo satis ostendit. Et revera defuit ne unquam locus, aut deesse potest in toto disciplinarum orbe, quo quis veram ingenii laude commendetur, quin in vanis, & minime profuturis tempus collocet, seu potius conterat; cujus jactura homini liberaliter instituto nihil debet acerbius contingere? Nil aliud siquidem sibi Ars Critica vindicat, nisi rectum de singulis rebus, quae proponuntur, judicium. Num vero Dydimi illius Grammatici consilium alicui probetur, qui totus in eo fuit, ut aut veram Æneae matrem, aut foediſſima Anacreontis vitia, aut Homeri Patriam, aut alia hujus furfuris sedulo investigaret, quae, ut inquit Seneca, erant dediscenda, si scires? Num Xenocratem imitabimur maximam vitae partem in copulandis Alphabeti litteris, & syllabis subducendis impendentem? Hanccine industriam? Hoccine acumen ingenii appellabimus?

At quoniam nihil mihi cum ineptis hujusmodi res est, qui helleboro curandi videntur, mecum quaeso hominem animis

mis perpendite, qui Critici nomen jure merito ſibi arrogare contendit. Quot ambages, quot rerum difficultates obverſantur! Quot vigilias perferendas, quot labores exantlandos ſibi fateatur oportet! Enim vero non illud ſolum eſt Critici munus, quod tamen non eſſet leve, nimirum in veterum monumentis inſudare, corrupta emendare loca, mutilata reſtituere, trajecta, ac perturbata in ordinem redigere, ambigua denique, & obſcura interpretari; ſed iter ad ſingulos doctrinarum fontes planum, atque expeditum aliis communire. Quapropter memoremne quot in Geometria, quot in Analyſi, quot in Mechanica, quot in Aſtronomia, quot in univerſa Philoſophia, tum de Mundi ſiſtemate, tum de Aſtrorum curſu, tum de ipſius Dei natura quaeſtiones occurrant, quae aequa lance, certoque judicio ſunt dirimendae? Memoremne quot in Arte Oratoria, ejuſque praeceptis aſſequendis multiplices obtinuerint ſententiae, ut alius Ariſtoteli, alius Tullio, & Quintiliano ſuffragetur; illudque etiam ab hujus aevi eruditiſſimo viro prolatum ſit, eloquentiam non eſſe adhibendam, niſi

niſi in iis locis, qui revera eloquentes non ſunt, ut ars naturae praeſto ſit. Adeſt praeterea Poeſis, quae plerumque vel tragico innitens cothurno effutire leves verſus indignatur, vel humili ſocco in communionem ſceleris adſcita irrepentem in dies licentiam averſatur, manuſque ſupplices porrigere, & ad Critici ſinum videtur confugere; ut, erroribus, aut Scriptorum libidine tandem ſublata, nihil priſtinae, a qua illi detrudere conantur, dignitatis amittat. Adeſt vel ipſa Grammatica, in qua nemo non videt, quam ſaepe de unius vocabuli vi, ac poteſtate ſit acerrime diſputatum. Adeſt Hiſtoria, quae cum lux veritatis potiſſimum eſſe debeat, eorum negligentiam incuſat, qui nihil de Regnorum, aut Urbium origine, nihil de populorum moribus, nihil de tota antiquitatis memoria repetenda ſolliciti, in veritate ipſa inquirenda turpiſſime allucinantur. Qua de re illud non eſt praetereundum, quod Tacitus teſtatur, quodque ſolertiam, ac ingenium Criticorum hominum vehementer poſtulat, *maxima quaeque ambigua eſſe, dum alii quoquomodo audita pro compertis habe-*

bent; alii vera in contrarium vertunt; & gliſcit utrumque poſteritate. Quantam igitur in tanta bonarum artium, ſcientiarumque omnium amplitudine ejus doctrinam arbitrabimur eſſe oportere, qui Cenſoris nomen pro dignitate ſuſtineat? Hoc nimirum recte ſenſerunt noſtris hiſce temporibus clariſſimi viri, ac probatiſſimi, qui cum aliorum ſcripta in lucem edita enucleandi, ac dijudicandi munus ſuſceperint, ad magni momenti provinciam, & litterarum Reip. utiliſſimam parem doctrinam ſibi conferendam eſſe duxerunt. Quid revera tam abditum, tam plenum aleae, ac ſalebroſum reperitur, quod Critici ſcientiam poſſit effugere? Fruſtra enim unam, vel alteram calleas facultatem, ubi Ars Critica ſuo jure univerſas expoſcit, quae arctiſſimo cognationis vinculo inter ſe continentur.

At enim nos miſeros, atque inconſultos! qui gravi ſupercilio omnigenae eruditionis praeſidium in Criticis hominibus requiramus. Secus profecto de re graviſſima optime meriti cogitarunt nonnulli hujus aetatis homines, qui nec libris impalleſcendum, nec diu noctuque opor-

oportere desudandum ostendunt. Quid? Barbatuli videlicet, dum capillo delibuto, & erecta fronte incedunt, dum in foro versantur, dum choreis, ludis, spectaculis interfunt, dum sermones in multam noctem producunt, dulcibusque detinentur alloquiis, quae, ni fallor, Minervae artes respiciunt; tanto nihilominus pollent mentis acumine, ut licet primoribus tantum labris doctrinarum praecepta deguftarint, quaecunque tamen iis exhibeantur a quolibet exarata volumina, licet mole ingentia, licet rebus graviffima, perbrevi se ad trutinam revocaturos, judiciumque de iis pronunciaturos glorientur. Quid glorientur? Quin etiam nulla interposita mora eos pro Tribunali agentes videre est, habituque corporis, vultuque ad gravitatem composito veterum Censorum dignitatem quodammodo praeseferentes, modo in haec, modo in illa vocabula transversum calamum inducere; hanc mendacii, illam falsitatis sententiam redarguere, multa nasute distringere, multa jurgiis conviciisque prosequi, omnia demum praecipitanter damnare, damnata in vulgus edere, atque ita eblandi-

tis,

tis, non enucleatis ſuffragiis, ſi per eos licet, Auctori dedecus inurere ſempiternum. Ita ne vero? Nihilne quaeſtionum difficultas, nihil rerum varietas, nihil argumentorum momenta, quae expendenda ſint? Nihil Auctorum aetas, ratio, aut fama, quibus aequum eſt conſulere, valebunt, ut ab hac homines impudentia deterreantur? Nihil iis erroribus veniae, *quos aut incuria fudit, aut humana parum cavit natura*? Ita ne effraenata quadam licentia virus acerbitatis ſuae evoment, ut Criticorum nomen ſibi optatiſſimum vindicent?

Quod quidem cum ubique diſſeminent, ſeque illo praedicent inſignitos, cumque Atlantis more Caelum humeris ſuſtinentis, abdita quaelibet ſcientiarum arcana nullo negotio pervadere ſe poſſe confidant; quid aliud reliquum eſt, A.A., niſi ut ad hos omnigenae eruditionis arbitros, & anteſignanos ultro confugiamus, quorum ope firmiſſima rectum in unaquaque re judicium, veritatemque, quam in puteo nonnulli una cum Democrito latere queruntur, feliciter aſſequamur? Magnine momenti eſt, ut ſemper Juriſprudentia ordinem certum ſibi vin-

dicet, Sanctitatem Theologia, utilitatem Matheſis, Medicina gravitatem, mentis acumen Philoſophia, venuſtatem Poeſis, vim, & robur Eloquentia, veritatemque ſuo quodam jure praeſeferat Hiſtoria? Intereſtne ſuum cuique librum auctori tribuere, Batillis quibuſdam in dies temere ſubrepentibus, & ad quem minime ſpectat, alteri denegare? Merces ſiquidem fallaces, & fucoſae, quae falſo Auctorum nomine venditantur, Religioni non minus, quam litteris perniciem ſemper attulerunt luctuoſiſſimam. Intereſtne captioſas improborum ſententias Linguarum praeſidio detegere, vera a falſis, bonumque a pravo, ceu lydio lapide, ſecernere? Intereſtne ſacrorum Annalium monumenta antiquis expiata anacroniſmis, dubiiſque locorum anfractibus evoluta intueri? Intereſtne Theologiae facultatem adverſus debacchantium hoſtium audaciam ſartam tectamque ſervare, & Sophiſtarum nugis poſthabitis ſolidam Catholicae veritatis doctrinam in eos opponere? Opinandi libertas coercenda? Errorum pravitas eruenda? Contundenda audacia eſt? Quid adhuc expectamus? Nihil non audent noſtri homi-

mines; & tantum abeſt, ut ab hac Artis Criticae amplitudine, & varietate deterreantur, quin etiam nihil iis tam impervium, nihil tam novum, atque inuſitatum poteſt exhiberi, quod non comprehendant, aſſequantur, & ex animi ſententia in luce non collocent ſplendidiſsima. Nullum opus tot involutum ambagibus, quod per eos nova aliqua gloriae acceſſione non prodiret ornatius.

Sed jam ſatis, Auditores. Nolo enim iis iratus videri, qui ſe remorſuros jactitant. Dum autem neminem nomino, nemo mihi jure ſuccenſeat, niſi qui de ſe ipſo velit confiteri. Enim vero utinam non hoc conflictaremur morbo, ut vel omnino rudes, vel vera ſolidaque doctrina deſtituti ad hanc artem nobiliſſimam accederent! Utinam probitatem etiam, modeſtiam, prudentiamque, quae ſunt alia Criticorum munera, adhiberent! Ita enim Ariſtarchi, & Ariſtophanis more vel ipſius Homeri verſus emendantium, & ſubmoventium, magni nominis viros nequaquam laceſſerent; & judicis partes, quoniam ſic juvat, ſuſtinerent, cujus negotium eſt neque iraſci, neque ludificari, ſed rem totam

pro aequitate dirimere. Utinam nihil amicitiae, nihil muneribus, nihil ſimultati, nihil invidiae concederent, ſed in inquirendam tantumodo veritatem totis viribus incumberent! Utinam non aliorum ſcripta ita cenſerent, ut illorum eſſe deſinerent; ſed praeſertim illuſtrare, atque emendare ſibi proponerent, ſi quid in veterum monumentis prave tortum, vel minus lucidum, vel error aliquis irrepſit, & invectus eſt aut barbarorum ſaeculorum, aut Typographiae vitio, quae cum ſtudiorum alma nutrix nata ſit, tum ſaepe etiam librorum corruptrix reperitur. Utinam plerique a mutilandis, vel lacerandis melioris notae auctoribus abſtinerent! Ita enim ad Juſtum Lipſium, Criticorum maximum, nobis non eſſet confugiendum, ut ex Satyrae Menippeae legibus litterarum Praeſides iterum adhortetur, ne iſtud Cenſorum genus, velut Tarquinios aliquos, graſſari impune patiantur; eoſque vel in Æſculapii Templo curent deponendos, vel in exilium ad Cimmerios, ubi lucem non videant, libroſque non legant, deportandos. Utinam deniqne viros praeteritorum temporum doctiſſimos imitaren-

rentur, qui ideo optime ſunt de re Critica meriti, quod omnia doctrinae praeſidia improbumque laborem ad eam contulerunt.

Quorum ope, quandoquidem in hanc mentionem incidimus, A.A., quis non videt perfectum eſſe, ut vetuſtatis ſqualore poſito ſplendidiorem faciem vividioremque conſequutae fuerint honeſtiſſimae Diſciplinae? quae geſtiunt quodammodo ſummis hominibus plaudere, quarum ideo una vox, & oratio communis haec eſſe videtur: Quod nos excuſſa malorum librorum colluvie, qui totum orbem errorum pravitate, vel ignorantiae tenebris obducebant, latinorum Graecorumque Auctorum monumenta publici juris facta omni labe expurgata exhibeamus; totum id potiſſimum Budaeo, Turnebo, Mureto, Caſaubono (quales, quantique viri!) acceptum eſt referendum. Quod totius antiquitatis memoria, hinc prophana ita alloqui videtur Hiſtoria, Graecarumque rerum ambages evolutae ſint; nonne Pitiſci, Graevii, Maffeii, Corſinii, Politi ſedulitatem teſtatam faciunt? Quod Ars Diplomatica perfecta ſit; quis neget Mabillo-

nium, Harduinum, & Papebrochium, miro ingenio pollentes, tantam ſibi laudem comparaſſe? Quod praeſtantia, & uſus numiſmatum antiquorum tantopere vigeat; nonne Spanhemius, Vaillantes, & Gruterus praecipue commendantur? Quod Geographia, & Chronologia, duo Hiſtoriae lumina, quibus erroribus ſcatebant ſint expurgatae, legibuſque firmiſſimis conſtitutae; nonne altera Cluverium, Brietum, Samſones, altera Uſſerium, Petavium, Scaligerum Parentum loco habet, ac veneratur? Quod Conciliorum, illinc praeterea Sacra inquit hiſtoria, Conciliorum opus expletum ſit, alterum Chriſtianae Reip. fundamentum, nulla vi labefactandum; Sirmondi, Binio, Crabbe, & Labbaeo merito tribuendum. Quod Eccleſiae Patrum Scripta in communem lucem ſint prolata ſuis numeris, ac partibus abſoluta; a Frontone Ducaeo, Montfauconio, aliiſque e Maurinorum familia inprimis repetendum. Quod Sanctiſſimorum Virorum res praeclare geſtae acri judicio collectae evulgatae ſint; Bollando, caeteriſque, uti vocant, Agiographis eſt adjudicandum. Quod novi ve-

te-

teriſque Teſtamenti Annales, maximum, ac firmiſſimum Religionis noſtrae fundamentum, apte ſint diſpoſiti, ac in ordinem diſtributi; Torniellus, Calmetus, Baronius, Pagius duces hac in re, auctoreſque diligentiſſimi exſtiterunt. Quod demum, ita omnes una voce teſtantur, tot tantiſque auctæ ornamentis ad id pervenerimus dignitatis faſtigium, ut Viros Principes, Regeſque ipſos nos alere, ac tueri non modo non pigeat, ſed etiam amplecti, ac familiariter nobiſcum verſari glorioſiſſimum ſibi ducant; id in laudem doctiſſimorum hominum cedit, qui nos multo labore, multiſque ſuis vigiliis expolire, atque elegantius ornare conati ſunt.

In hac tanta tamque unanimi Diſciplinarum omnium conſenſione, non eſſet ab inſtituto alienum, Auditores, ut quo mirifico ingenio, qua ſcribendi facultate, qua incredibili diligentia, ac labore Scriptores illi eximii uterentur, vobis exponerem. Hinc enim, quae doctrinae adjumenta ad artem Criticam contulerint, quivis meridiana luce clarius dignoſceret. Aſt quid in re minime dubia immoramur? Praeterquam quod

enim brevitati jam ab initio dicendi ſtatui conſulere, adſunt penes omnes, & in media luce quodammodo ſummorum hominum ingenii monumenta, nunquam interitura, conſiſtunt.

Quae cum ita ſint, id primum, Adoleſcentes optimi, qui huc frequentes conveniſtis, vos probe intelligere oportet, quanta iis hominibus habenda ſit gratia, qui ſpinis tribuliſque interclu-ſum antea doctrinarum iter nobis expeditum patere voluerunt. Si enim in vulgaribus illis artibus, quae ad commune hominum ſocietatis bonum obtinuerunt, tantum eorum Auctoribus debeamus, quantum homini de ſe optime merito hominem debere fas eſt; quae par poteſt exiſtere eorum promeritis laus, qui toti in eo fuerunt, ut prius diſciplinarum vi plane perſpecta, puros integroſque libros nobis traderent, melioris notae Auctores commendarent, utiles expolirent, inutiles, ceu putidos aridoſque falce amputandos ramos, e litterarum Rep. rejicerent, & condemnarent; itaque juvenum animis mirifice conſulerent, qui fluxa adhuc aetate nihil habent antiquius, quam libros omnes temere arripere, & dete-

deterioribus ſe plerumque tradere corrumpendos. Deinde, quod rem noſtram plane reſpicit, id animis reputate, quanta ſit nobiliſſimae hujus facultatis amplitudo, quamque ſcopuloſo difficilique in loco verſetur is, qui Critici nomen, & munera velit pro dignitate ſuſtinere. Provinciam hanc ita ſalebroſam, lubricam, & negotii plenam ſubſidio praeſertim doctrinae intelligetis, ut in ea, tanquam in Poeſi non *Dii*, *non homines*, *non columnae* mediocritatem eſſe patiantur.

Igitur voſmet colligite, Adoleſcentes; prudentiam, quae ſeneſcentis aetatis eſt, imitamini; temeritatem, quae magna cum pernicie florentis eſſe ſolet, abjicite; Cum enim omnis arrogantia odioſa eſt, tum illa ingenii multo moleſtiſſima. Licentiam illam, ſi forte in veſtros animos irrepſit, quaelibet aliorum ſcripta temere carpendi, & intolerandam de ſingulis rebus pronunciandi conſuetudinem cohibete; Amicitias vero cum iis, qui hoc morbo laborant, non diſſuendas modo, ſed etiam diſcindendas putatote. Interim pretium operae me feciſſe arbitrabor, ſi hodierna die

die perfecero, ut exinde veſtrorum ſtudiorum rationi, in qua nos duces, auctoreſque pro viribus exhibemus, modeſtia, maximum adoleſcentiae ornamentum, praeluceat.

ORATIO NONA

BONI CIVIS EST LITTERARUM STUDIA AD COMMUNEM FELICITATEM CONFERRE.

SApientiſſimo Majorum conſilio factum eſt, ut quotannis ſolemni quadam, ac legitima ſtudiorum inſtaurandorum die Oratio ab aliquo haberetur, qui de Litterarum praeſtantia, ac laudibus publice diſputaret. Nihil enim ad acuenda Adoleſcentium ingenia validius fore cenſebant, quam arduum ſapientiae iter ingreſſuris quaſi facem praebere; ut cujus commoda, ornamenta, ac praeſidia antecaperent animis, ſenſibuſque deguſtarent, ad eam totis viribus comparandam vehementius inflammarentur. Mihi autem, etſi hujuſmodi rationem ullo pacto improbare non audeam, longe alia mens eſt. Cum enim in Urbe omnium principe, atque in tanta Doctrinae luce verſemur, ut ipſa moenia, Penates, ac Templa plurimo pene dixerim eruditionis ſenſu informata, ſapientiam undique redolere videantur; Quem me-

mehercule tam rudem, ac mentis impotem fore exiſtimabimus, qui ignavia, ac torpore, quaſi Circaeis poculis delinitus, otio malit ſe corrumpendum tradere, quam in hoc glorioſo, ac erudito pulvere deſudare? Quamobrem aliam inire viam conſtitui, omneſque ad id enixe cohortari, ut uberem Doctrinae ſegetem, quam in perſequendo ſtudiorum curriculo ſibi comparabunt, ad communis Societatis bonum ſpargere quodammodo, ac diſſeminare ſibi proponant. Et ſane quemlibet pudeat, ſi quis ita incumbat ad ſtudia, ut nihil poſſit ex iis ad aliorum fructum afferre; illiuſque luculentiſſimae Lyricorum Principis Poetarum ſententiae, celatam virtutem parum ſepultae inertiae diſtare, ſedulo meminerit. Non alienum ergo ab injuncti officii ratione, ac hujus diei celebritate me facturum putavi, ſi illud oſtenderem, boni Civis eſſe ſtudia Litterarum ad communem utilitatem conferre. Quo argumenti genere quoniam nihil ad Doctrinae laudem magnificentius, nihilque ad humanae Societatis commodum opportunius excogitari poteſt; ita nihil magis conſeſſu veſtro dignum, atque

ad

ad animos verae Gloriae ſtimulis inflammandos accommodatum fore confido. Macti igitur eſtote, Adoleſcentes Optimi, (vos enim potiſſimum reſpicit Oratio mea, qui ad publica haec Gymnaſia Diſciplinae cauſa frequentes convenitis), & mentis aciem huc paulliſper intendite, dum, praeclariſſimo hoc veſtrorum ſtudiorum fine propoſito, illud perficere conabor, ut veluti calcaria ultro feſtinantibus admoveantur.

Neminem veſtrum ignorare arbitror, Auditores, arctiſſimum inter homines Societatis vinculum intercedere, quo fit, ut nemo jam unus aliorum ope deſtitutus eam poſſit, ad quam omnes ſponte trahimur, conſequi felicitatem. Ut enim quidquid incommodi, ac detrimenti, ſic quidquid eſt fere in vita commodi, dignitatis, atque ornamenti, homini ab homine naſci perſpicuum eſt. Revera quid commemorem, ſicuti ex M. Tullii teſtimonio comprobatur, aut agrorum cultum, aut frugum, fructuumque perceptionem, aut earum rerum exportationem, quibus ad uſum vitae indigemus? Quid lapides exciſos, quid aurum, argentum, ferrum, aliaque hu-

hujuſmodi Terrae viſceribus penitus abdita? Quid denique mirificam Artium multitudinem, ac varietatem ad aegris ſubveniendum, atque ad valentium vel oblectationem, vel commodum, vel ornamentum inventarum, quibus exculta hominum vita tam longe a cultu ferarum diſtare videtur? Nonne haec omnia, & alia plurima, quae in mortalium uſu poſita ſunt, nulla propemodum eſſent, niſi hominum induſtria, ac labor accederet? Hoc autem ita a Natura comparatum eſt, ut unuſquiſque tot, tantiſque hominum adjumentis affectus, niſi injurius in alios eſſe videatur, eorum etiam commodo pro virili parte conſulere ſtudeat, illudque ſibi ſedulo proponat, omnes ingenii nervos, omnem animi, ac corporis contentionem, omnemque ſollicitudinem communi Societatis commodo libentiſſime ſibi eſſe adhibendam. Cui ſi quis unquam legi refragari auſus fuerit, dubitabimus ne eum aut cum belluis conferre, aut in extremas, penituſque barbaras terrarum Orbis regiones amandare? Cum praeſertim ab optimo, beneficentiſſimoque rerum omnium Opifice id maxime a nobis requiri com-

compertum ſit. Enimvero ſi is ſumma bonitate non ſecus, ac felicitate praeſtat, quanta neque ab intellectu noſtro, neque ab humano ſenſu percipi unquam poteſt; Nemini dubium erit, eum id potiſſimum velle, ut homines pariter felices ſint, & quoad fieri poſſit, ab omni calamitatum, ac aerumnarum genere quam longiſſime removeantur.

Verumtamen quomodonam homines, ut ait Sophocles, ad beatitudinem ſapient, ſi, ſimulac in lucem hanc editi ſunt, in magna pravitate, ſummaque opinionum perverſitate verſantur, quibus miſerrime abrepti, atque exagitati pravum honeſtumque promiſcue habent, & vitiorum illecebra ſubrepente, peſſimis ſe plerumque conſultoribus tradunt? Mortalium ſiquidem naturam, & conditionem reputanti, ea ita plena ſollicitudinis, plena timoris obverſatur, ut aeſtuanti pelago facile comparari poſſe videatur. Quemadmodum enim concitatorum turbinum vis graviſſimas excitat procellas, & teterrima nautis portendit excidia; Ita ſane graviſſimi cupiditatum motus hominum animos detorquent, & veluti per apertos, latoſque adi-

aditus permeantes tanta vi, & contentione pervadunt, donec jurgia, insidiae, simultates, caedesque miserrimae tandem erumpant. Hinc gravescentibus in diem malis, subsidia minuuntur. Ad quem igitur in tanta rerum perturbatione hominum mentes confugiant, nisi sapientum, ac litteratorum hominum consilio adjuventur? Quo sine densissimis, quibus undique circumfunduntur, tenebris emergere, gravissimisque difficultatibus eluctari frustra contendent. His enim ducibus, auctoribusque praestantissimis inscitiae caligo, unde effraenata cupiditatum lues potissimum solet erumpere, sensim discutitur; & doctrina tanquam de Caelo demissa, & oscitantibus mentibus illapsa, facile honestae vitae ratio componitur. Siquidem ita in omnibus comparatum est, ut, quemadmodum calor fere semper lucem sequitur, sic in animo e scientiae luce veritatis amor erumpat.

Rem igitur majoris momenti, quae non minus dignitatis habet, ac ponderis, animadvertite: Ea scilicet, quae ad bene beateque vivendum sunt necessaria, a scientiarum dumtaxat cultoribus, ac litte-

litterarum tradi ſolere. Ac primum quantum optima juvenum inſtitutio Reip. interſit exploratius eſt, quam ut quivis aſſequi dicendo poſſit. Id nimirum ex laudabili omnium populorum conſuetudine, Ægyptiorum praeſertim, Perſarum, ac Graecorum facile eſt intelligere, tum etiam Majorum noſtrorum exemplo, qui in illud totis viribus incubuerunt, ut ex Adoleſcentium animis optimis diſciplinis, virtutumque omnium ornamentis imbutis vitiorum peſtes, ac ſemina penitus extirparentur. Noverant enim homines incredibili ſane judicio, ac ſapientia praediti, hinc Imperii florentiſſimi ſtabilitatem, urbis pulcherrimae dignitatem, gloriam denique, ac felicitatem vel maxime proficiſci. Non immerito igitur inquit Tullius: *Non eſt aliud munus majus, meliuſve, quod afferre poſſimus Reipublicae, quam ſi docemus, atque erudimus juventutem.* Jam vero nonne praeſtantiſſimi hujus officii curam viris doctis, ſapientiaque inſtructis demandari oportet, quippe qui nitidiſſimos, a quibus Litterae, ſcientiaeque omnes hauriuntur, fontes potiſſimum patefacere, earum rerum, quae

mores efformant, cognitionem praebere, & teneris adhuc mentibus virtutum ſemina poſſunt inducere? Doctorum videlicet eſt, prout ajebat Iſocrates, admonere, & adjuvare rudiores. Nam profecto quod conſilium deliberanti dabit is, qui & ipſe conſilio indigeat? Quomodo aliis ſuadebit, qui in magna rerum ignoratione verſatur? Quibus argumentis aliquid vel fugiendum, vel amplectendum oſtendet, qui rationum pondera, aut Logicam facultatem ne a primo quidem limine ſalutarit? Quid aliud eſſet mehercule ad imperitos, ignaroſque homines confugere, quam a mendicis divitias, aut ab aegris valetudinem poſtulare? Contra vero quanto ſibi caeteros beneficio devincient, qui ubi animum ad omnia honeſtiſſimarum Artium ſtudia ipſi excoluerunt, facile poſſunt erudire alios, & ad omnia quaeque recte perpetranda iter expeditum cõmunire? O praeclarum ergo, & nunquam ſatis laudandum juventutis inſtituendae munus! O fructus eximios, atque incredibiles a Litterarum ſtudiis in communem hominum Societatem dimanantes! Hoc profecto recte ſenſit Philippus ille Macedo-

cedonum Rex fortiſſimus, cum non tam Regni ſui haeredem filium ſibi natum eſſe gratularetur, quam quod Ariſtotelis tempore lucem hanc ſuaviſſimam aſpexiſſet, quo duce, ac praeceptore in omni Diſciplinarum genere poſſet inſtitui. Neque minus Magnus idem Alexander Philippi Filius id luculenter agnovit, cujus fama, ac nominis celebritas totum, quam late patet, Terrarum Orbem pervaſerat. Splendidum hic in primis grati animi indicium erga Praeceptorem ſuum proferre non dubitavit. Cum enim ab eo quaereretur, cur ſe magis illi, quam Patri ſuo debere tantopere praedicaret, reſpondiſſe ajunt, quod ab altero vivendi, ab altero bene vivendi munus accepiſſet. Magnifica vere vox, & ſummo viro digniſſima! Quid eſt aliud, quaeſo, bene vivendi munus accepiſſe, niſi quo pacto vitia conterantur, cupiditates eradicentur, ignavia, peſtis pernicieſque virtutis, extinguatur, verae gloriae ſplendor a falſo ſecernatur, & vera denique nobilitas una dumtaxat virtute collocetur, doctrina duce, atque magiſtra dignoſcere? Ita ſane multis magniſque Litterarum, ac Litteratorum ad-

jumentis perfecta illa animi inſtitutio neceſſario efficitur, quae, ut docuit Lycurgus, in animo Virtutem ingenerat.

Revera Hominem doctrina imbutum, Litterarumque praecepta diſſeminantem, armatum veluti ducem in acie conſtitutum, vobiſcum animo reputate Auditores. Eſt autem hic diverſa rerum facies, hominumque ratio, ac natura plane diſſimilis. Non enim hic hoſtium impetus, & exultantior ferocia graſſatur, non infeſtis armis concurritur, aut furore caedibus inhiante mors ubique ingruit luctuoſiſſima; non capti ingemere, non disjecti a tergo, aut lateribus circumventi trepidare, non tela, aut enſes ſauciare, non ſors omnia regere. Faceſſat a Litteratorum arena hujuſmodi empta lacrymis gloria; faceſſat ea, quae detractis ſpoliis, ſubactis oppidis, hoſtibus profligatis delectatur, aut quae miſerorum luctu, caede, & ſanguine redundans comparatur victoria. Verumtamen quo ignavia laborem reformidat, quo cum avaritia pugnat luxuria, cum metu temeritas, quo monſtra cupiditatum foediſſima, quaſi quibuſdam furiarum taedis ardentibus, homines agitant, turbant,

bant, divexant; eo conſurgit Sapiens, litterarum innixus praeſidio, ut vitiorum turpitudinem oſtendat, effraenatos mores confirmet; neque vi, aut armis, ſed ratione uſus, atque conſilio ita rem auſpicato perducit; ut nullum victos probrum, quin magna cum utilitate voluptas conſequatur. Pulcherrimarum ſiquidem facultatum praeceptis luxuriantes animi motus paullatim compeſcit, mitigat, coercet, voluntatem rationi prius reluctantem compellit, & uno verbo quo pravae, atque effraenatae animi cupiditates, quo ambitus, quo iracundia dominabatur, quae nunquam hominem conſiſtere patiebantur, ſed undique diſcerpebant, raptabant, dilacerabant, ibi Juſtitiae, gravitatis, continentiae, modeſtiae, caeterarumque virtutum monumenta praeclariſſima extollit. Neque hic opus eſt ſingula doctrinarum genera, quibus optime de aliis litteratus homo mereri poteſt, commemorare; cum praeſertim ea attingere conatus ſim, dum de bonis Artibus, honeſtiſſimiſque Diſciplinis in commune bonum traducendis alio loco (1) diſſererem; niſi forte re-

(1) Vide Orat. II. & III.

rerum principia, cauſaſque pertractare, tempeſtatum, nimborumque cauſas inquirere, plantarum naturam, vim, uſumque oſtendere, veri, falſique in rebus omnibus cognoſcendi rationem tradere, aliaque ſedulo perſequi, quae munera Litteratorum ſunt, parum aliquis ad Rempublicam pertinere arbitretur.

At enim quid eorum ratione perturbatum magis, magiſque a Litterarum natura alienum poteſt excogitari, qui ingenio pollentes vel ab humanis uſibus, vel certe ab inſtituti ratione remota perquirunt, prout Alphonſus ille feciſſe dicitur, qui contento ſtudio Aſtrorum diſciplinam conſectabatur, eamque unice deperibat, quae a graviſſimis Regis muneribus vehementer abhorruit? vel qui doctrinarum munere affatim cumulati, quaſi voti compotes, ſibimet acquieſcunt, quin eas ad communem conferant utilitatem? Siccine huc, ſumme rerum omnium Auctor, beneficia tua evaſere, ut quae ſapientiſſimo plane Conſilio eſſent in univerſos homines diſſeminanda, compreſſa velut humi jacerent, caeciſque latebris abdita deliteſcerent! Neque hanc opinionem hominum fallaciſſimam

mam paſſim refelli, atque exprobrari intelligimus? Quin ita ipſaemet plantae, belluae, & caetera ſenſu carentia, ni fallor, unanimi conſenſione praedicant: Quidquid eſt in nobis foecunditatis, roboris, elegantiae, vis, atque venuſtatis ultro ad hominum utilitatem expromere non recuſamus. Illi autem de ſe, niſi verbis, re quidem, ita praedicant: Nos, quod maximum eſt doctrinarum bonum, potius in animo per ſocordiam patimur hebeſcere, quam alios in communionem fructuum arceſſere velimus. Secus profecto ſenſerunt, ut multos noſtræ memoriae viros omittam, ſummi illi totius antiquitatis viri Socrates, Plato, Ariſtoteles, Lyſias, aliique ſexcenti, qui Divina ſapientia inſtructi illud ſibi glorioſiſſimum duxerunt, ut ſemper hominum felicitati conſulerent; multos enim erudiere, quo meliores Cives, utilioreſque ſuis, publiciſque rebus eſſent, ut Thebanum Epaminondam Lyſias Pythagoraeus, & Syracuſium Dionem Plato, multique multos omni tempore ſaluberrimis praeceptis informarunt. Summam enim ſapientiam non tam in litteris, quam litterarum fructu po-

nendam esse existimabant. Id autem gravius est, & minus ferendum, quod eo perfrictae frontis quorumdam prorupit audacia, ut, nedum doctrinam in communem usum conferant, ad omnia potius Naturae vincula, vel aequitatis fontes, vel morum disciplinam, vel Legum fundamenta penitus evellenda temere illa abutantur. In quo nimirum quam multi prave deliquerint, satis ex eo planum est, quod ad bonos mores, Religionemque sartam, tectamque adversus impudentissima nonnullorum scripta vindicandam peculiaris quaedam, ac summa Auctoritas divino atque humano jure fuerit constituta. O dementiam singularem! O libidinem refraenandam! Itane perditissimi homines aut otio sinant contabescere, aut vitiorum coeno nefarie corrumpant praestantissimum illud litterarum munus, quo nil melius a natura mortalium concessum est?

Cum autem Civi liberaliter instituto nihil Patria antiquius esse possit, quam unam prae caeteris diligere, ejusque commodis debet pro viribus consulere; quid praestabilius per Deum immortalem, quid opportunius occurrit adjumento Doctri-

ctrinae, quo non modo pacis, verum etiam belli tempore ſe optime de illa meritum oſtendat? Quae quidem dum diſputo, quis ſecum duo Litterarum Lumina Demoſthenem, ac Ciceronem memoria non repetat? quorum tanta fuit apud omnes ſemper auctoritas, ut Civium regerent animos, & quamcunque vellent in partem nullo negotio deflecterent. Cum enim Philippi victoriis omnia Athenis eſſent pene profligata, ac perdita, cum omnium animos terror occupaſſet; quis in tanta rerum perturbatione labanti Patriae conſuluit? Demoſthenes. Quis viribus deſtitutos Cives excitavit? Quis majorum exemplo ad priſtinam revocavit virtutem? Quis ad arma maturius capienda in Philippum compulit, & proſpera nimis fortuna inſolentius agentem perfregit? Demoſthenes. Quis periclitantem Rempublicam quaſi humeris ſuis ſuſtinuit? Quis Athenienſium reſides jamdudum animos inflammavit? Quis acceptis cladibus perculſos iterum in ſpem libertatis erexit? Unus unus fuit Demoſthenes, qui uno Doctrinae praeſidio perfecit, quod vis armata nequaquam ſufficeret. In quo ne aliquid

a me

a me de induſtria dictum fore ſuſpicemini, ſatis ſit ejuſdem Philippi teſtimonio uti, quem dixiſſe ajunt: magis ſe Demoſthenis eloquentiam, ac doctrinam, quam totius Graeciae arma perhorreſcere. Jam vero cum M. Tullium nomino, cujus ſcientia, ac facundia tantum ad ſalutem Imperii, quantum nec Imperatores fortiſſimi profuerunt; nonne is hanc Urbem omnium Gentium Dominam ab interitu vindicavit? Agedum Civem doctiſſimum, Patriaeque amantiſſimum aſpicite nefaria improborum Civium conſilia detegentem, impetum perfringentem, arma de furentium manibus eripientem. Hoc uno Conſule factum eſt, ut Urbs ab incendio, Cives ab internecione, Italia denique tota ab exitio revocaretur. Quae omnia cum potiſſimum Doctrinae adjumentis fuerint ab Hominibus praeclariſſimis confecta, & in Patriam, totumque hominum genus comparata, quae par argumento inveniri poteſt Oratio? Quis haec Litterarum ſtudia, unde tam ampla bonorum ſeges ſibi, aliiſque dimanat, non amet, non colat, omnique ardore amplectenda non cenſeat? Nam illud poſtremo loco praete-

tereundum non eſt, quibus regionibus doctorum hominum vitae ſpatium circumſcribitur, non iiſdem dumtaxat fructus uberrimos contineri; nec cum vitae tempore dimetiendos, ſed cum omni poſteritate adaequandos. Quocunque enim aut oculis perluſtramus, aut mente percurrimus, dum Libros, ſeu Sapientum Voces, ſeu exemplorum vetuſtatem conſulimus; nonne praeclariſſimae ubique excellentium Virorum virtutes, ac praecepta Litterarum monumentis prodita ante oculos verſantur? Quae profecto, graviſſima, & maxima ad uſum vitae praeſidia, niſi ornatae, atque illuſtris Diſciplinae lumen acceſſiſſet, omnino in tenebris deliteſcerent. Quae cum ita ſint, ſi ita naturae Legibus inſtituti ſumus, Diviniſque etiam monitis compulſi, ut unuſquiſque alterius commodo, ac felicitati pro virili parte conſulere debeat, ſi Doctrinae praeſidio Civium moribus, rationibus, incolumitatique mirum in modum proſpicitur, ſi ejuſdem vis, ratio, ac natura, tum etiam ſummorum virorum exempla unumquemque ad fructus tam exi-

eximios in alios diſſeminandos ultro cohortantur; quis erit tam parum de ſua, ac de aliorum felicitate cogitans, qui ſtudia Litterarum nolit ad communem utilitatem conferre?

Agite ergo, ingenioſi Adoleſcentes, quos Oratio haec mea potiſſimum compellat; contendite ea, qua coepiſtis, animorum alacritate, atque ardore ad doctrinarum faſtigium; & praeterquam quod in hac Urbe ampliſſima Bonarum Artium ſede, ac domicilio Viri in omni diſciplinarum genere ſpectatiſſimi, quos conſulatis, non deerunt; nos profecto veſtrorum ſtudiorum, atque utilitatis in litteraria hac palaeſtra vobis duces, adjutoreſque vigilantiſſimos futuros eſſe pollicemur, ſemperque praeſtabimus. Verum id ſemper unicuique veſtrum fixum animis, deliberatumque ſit, ut quae ſtudia, laboreſque Deo auctore, atque auſpice ſuſcipietis, ad communem fructum tamquam ad finem nobis omnibus praecipue propoſitum traducatis; quoniam nihil praeclarius, aut nobilius ad laudem, atque honeſtatem excogitari unquam poſſe compertum eſt, quam

quam vires, ingenium, tempus, rationesque ad veram hominum utilitatem referre, inscitiae tenebras ab animis expellere, se totum denique pro aliis libentissime devovere.

ORA-

ORATIO DECIMA

DE UTILI LIBRORUM LECTIONE.

NEminem esse arbitror, Auditores, qui cum ad Litterarum possessionem pro virili parte contendat, ita arroganter de se sentiat, ut ad ingenium rite excolendum, optimisque imbuendum disciplinis, Libris, tamquam optimis consultoribns, operam sibi dandam esse satis exploratum non habeat; quorum praesidio & olim percepta memoria retinere, & novam in dies eruditionis segetem possit colligere. Fuerint enim rara quaedam ingenia, seu rarae in terris aves, quae primo adhuc nisu humilia quaeque, ac terrena praetervectae, pennis firmissimis fretae sublimia tantum spectarint, & sua vi nixae disjunctissima adierint loca, celsissimas aeris peragrarint regiones, nullisque defatigatae cursibus, nullis difficultatibus abstractae, de suscepto itinere nullibi deflectentes, sacra tandem limina, & Arcis fastigium, quo intendebant, feliciter attigerint.

Fue-

Fuerit vel Heraclitus Epheſius, quem nullo commonitore graviſſimis Philoſophiae praeceptis imbutum fuiſſe ajunt; vel Muretus, quem artem omnem, facultatemque dicendi abſque praeceptorum opera didiciſſe praedicant; aut Guillelmus Poſtellus Linguarum pene omnium, aut Philelphus humaniorum Litterarum, aut Cujacius Juriſprudentiae cognitione nullo duce excelluerint. Hinc Paſchalius, illinc Newtonus abdita Matheſis arcana pervaſerint; aliique innumeri tam incredibili, ac divina ingenii natura praeſtiterint, ut quin ulli ſibi adeſſent Litterarum praemonſtratores, earum vim ipſimet fuerint aſſequuti, & pleniſſimo ore fontes hauſerint ſaluberrimos. Nullibi tamen hominem reperiemus tam placido ſidere editum, tam Numinibus gratioſum, qui ad ſolidam germanamque doctrinam ſibi comparandam ad Libros minime confugerit. Hi videlicet, a quibus veluti manuducimur, ſacriſque initiamur, in ſinum noſtrum effundunt, nulloque noſtro labore peramanter tradunt quidquid plurimorum ſaeculorum induſtria, ac labore ſapienter excogitatum fuit, litteriſque conſigna-

gnatum. Quare prout olim Homerum editiſſima Muſarum arce collocatum effinxere, uberrimos effundentem rivos, quem Virorum agmina circum adſtabant, ut latices ex inexauſta, ditiſſimaque vena ſibi ſumerent, & Poetarum numero accenſeri cupientes pro ingenio ſinguli ſatis ſuperque irrigarentur; Ita ſane ſummorum hominum monumenta in aſpectu, atque in luce collocata fuiſſe mihi videntur, ut diſciplinarum iter adſcenſu aſperum, ſpiniſque intercluſum nonniſi iis adjuvantibus patefieret. Cum vero Librorum neceſſitate nihil eſt compertum magis, atque exploratum; ita nihil inutilius, vel perniciosius eorum lectione eſſe poteſt, niſi haec caute prudenterque ſuſcipiatur. Quapropter hanc veniam mihi concedite, Auditores, ut quoniam Adoleſcentium plerique in hac Litterarum parte ſane potiſſima ſaepius, quam caeteri, hallucinantur, eorum ſtudiis hodierna die proluſurus, de Librorum Lectione diſſeram, & quo pacto ſit illis in eam incumbendum, ut maxima hinc utilitas, fructuſque non poenitendi facile conſequantur, breviter oſtendam.

At

Atque ut inde Oratio mea proficiſcatur, unde haec omnis cauſa ducitur, duo in primis ad rem pertinere arbitror, quibus tamquam fundamentis Lectionis utilitas omnis innititur, Librorum videlicet delectum, & legendi rationem, quae ſigillatim pertractanda mihi eſſe intelligo. Id autem primo loco nequaquam diſſimulo, quin etiam libenter fateor, vobis, Adoleſcentes, feliciter contigiſſe, ut ad fauſtiſſima haec tempora reſervatis lectiſſimi omnium, ac nitidiſſimi pene dixerim ab incunabulis exhibeantur Libri, a quibus rationem ſtudiorum ingreſſuri optimis praeceptis minime fallentibus erudiamini, vitaleſque bonarum Artium, ac Diſciplinarum ſuccos tempeſtive exprimatis; quorum eſt & imbecillam adhuc mentem confirmare, & ad optima quaeque in poſterum aggredienda viam ampliſſimam vobis communire. Utinam hoſce duces, conſultoreſque Litterarum aſſidue coleretis, & ab eorum Lectione nunquam vos diſtrahi pateremini! Quid vero, quod varia plerumque, & prorſus ab inſtituto aliena aucupantes in diverſa abire minime dubitatis, vel animi relaxandi ſtudio, vel

caeca rerum novarum cupidine ingruente, quae quidem, prout caeterae pestes animi, cum per omnem, tum per vestram praesertim aetatem serpit, & deinde naturae vim obtinet propter vetustatem? Hinc Classicorum Auctorum, quibus primas deferri a vobis oporteret, sensim taedio affici, usum imminuere, lectionem intercipere, penitusque negligere; quasi non comites sint, adjutoresque Studiorum amantissimi, & ad utilia quaeque tradenda opportunissimi, sed hostes invisi, infensissimique, qui otium illud, ac tranquillitatem, cui tantopere inhiatis, per vim ab invitis extorquere conentur. Ita nempe consuetudine adjuncta summorum hominum fastidium incedit, quos majori sane in pretio haberemus, si ab iis, tamquam sacris, dudum abstinere cogeremur.

Neque res me mendacem patitur, Auditores. Cum enim iis versemur temporibus, ut librorum numero pene obruamur; ita Veteres nisi negligimus, aut aversamur, quod quidem piaculum esset non ferendum, novis certe animum libentius adjicimus; quaeque in mercibus, cultuque corporis obtinet ratio, ut quid-

quidquid longinquis exportatur regionibus, & novitatem aliquam redolet, magis in deliciis habeamus, eamdem ad Litterarum ſtudia traducere velle videmur. Haud inficior plurima in lucem prodiiſſe, & adhuc prodire ad noſtrae aetatis laudem ſempiternam, quae, niſi graviſſima, & plane aureo Auguſti aevo digna confiterer, profecto amens eſſem. At ſi inter lectiſſimas ſegetes mala etiam ſuccreſcunt germina, prout fieri neceſſe eſt; ſi ex iiſdem typis inutiles, putidique una cum optimis evulgantur Libri; num quia novitate pollent, idcirco in omnes temere oculos, mentemque convertemus? Si minimae res, ac nullius ponderis agantur, ſi ridiculae proferantur quaeſtiones, ſi narratiunculae, aut ſomnia venditentur, ſi in rebus alioquin graviſſimis reliqua magnis initiis nequaquam reſpondeant, aut ex ſplendore fumus erumpat, ſi denique, ut uno verbo omnia complectar, ejuſmodi ſint Libri, qui aut nihil ad mores informandos pertineant, aut ab ea Litterarum ratione, optimiſque diſciplinis, quibus operam damus, abhorreant; adhuc ſumma voluptate retinebimus, & in aſſiduam

eorum Lectionem incumbere minime dubitabimus? Sed quo mea haec Oratio ſpectat, quaeſo animadvertite. Neque enim eſt diſſimulandum, quod nullo pacto ferendum. Eſt videlicet Librorum genus Litteris valde pernicioſum, & Adoleſcentium progreſſui maxime infeſtum, qui fictas quaſdam exhibent hiſtorias ad pravae libidinis incitamenta ſuppeditanda apprime accommodatas. Romanenſes vulgo hae vocantur Fabulae, in quibus praeſertim amandi, & lenocinandi artes turpiſſimae, ac teterrimae novis illecebris eruditae commendantur, & perficiuntur. Hic autem omitto eas ad corrumpendam Morum diſciplinam maxime valere, ut unuſquiſque facile intelligit; Omitto eas pudorem, ac virtutes omnes peſſumdare; Quod ſane cum grave ſit, ac luctuoſiſſimum, unuſquiſque ad hanc luem animo, oculiſque propulſandam velis, remiſque deberet contendere. Aſt, quod rem noſtram plane reſpicit, non levem ſane Litteris quoque afferre perniciem confirmo. Conqueruntur enim bonae artes omnes, & clamitant hiſce fabularum commentis in dies impune graſſantibus ſe a priſtino dignitatis

tis gradu pene dejectas esse, ac deturbatas. Clamitat Historia se veritatis lucem tenebris fuisse passim obductam propter ejusmodi Scriptorum licentiam, qui cum aut tempus fallere, aut lucrum captare, aut otiosis gratificari sibi proponant, singula pro ingenio solent effingere, verum, falsumque promiscue habere; neque solum Poetarum more in Caelum modo Daedalaeis pennis assurgere, modo ad inferos pergere, modo *Antiphatem*, *Scyllamque*, *& cum Ciclope Charibdim* describere, sed ementito Virorum nomine Equites per orbem huc & illuc passim vagantes, Heroesque non egregiis facinoribus, sed portentis plane incredibilibus claros passim legentibus exhibere. Quae omnia monumentis historiarum inducta tum Regum, ac Principum seriem perturbarunt, Regnorumque originem abdiderunt, cum vere, ac recte factis fidem imminuerunt. Conqueritur Chronologia, libidinemque hominum incusat nulla habita temporum ratione res gestas pertractantium; palamque fatetur, se, ut antiquis expiaretur Anacronismis, summorum virorum ingenio, ac labore indiguisse. Clamitat

Poeſis, quaeque praeſertim Tragico innititur cothurno, & jure merito conqueritur hac in Litterarum Republica admiſſa lue factum eſſe, ut nulli in ſcenam producerentur Viri, quin amoris eſſent vinculis irretiti. Fuerit quamvis ſenio confectus Mithridates, fuerit imberbis Britannicus, verſaretur in acie, praeliorumque tumultu Alexander, Hippolitus ab omni vacuus pravae cupidinis illecebra abhorreret; ſinguli tamen in hiſce mendaciorum officinis amoris igne conflagrarunt. Clamat ipſa Eloquentia, & aegre patitur ſe fabuloſis commentis immiſceri; quorum licet nonnulla & ſale condiantur, & conquiſito excellant lepore, nonne caetera vel ineptiſſimos exhibent ſermones, vel nullius momenti narratiunculas, vel expertia rerum facta vix ad permulcendas ineptorum aures idonea?

Sed maxima licet litteris omnibus ex hoc fonte oborta ſint damna, non me magnopere commovent; quoniam doctiſſimorum hominum cura, diligentiaque partim haec imminuta, partim ſublata fuiſſe certo ſcio. Quod vero graviſſimum accedit incommodum, illud eſt,

Audi-

Auditores, quod, ubi haec Librorum peſtis adoleſcentium animos olim occuparit, nullo pacto ab eorum Lectione diſtrahi poſſint. Hos ſibi comites deligunt amantiſſimos, horum conſuetudine utuntur, neque ſolum peregrinantes, aut ruſticantes familiariſsimos adhibent, ſed eorum cauſa, ſtudiorum, quibus vacant curſum intercipiunt, rationem omnem peſſumdant, ſcholaſtica negligunt munera, ut hos nugarum venditores perlegant, amplexentur, & tamquam verae voluptatis largitores ſine interpellatoribus aſsidue conſulant. Horum videlicet Librorum ea vis eſt, ac natura, ut, quemadmodum malae quaedam plantae eas etiam, quae proximae ſunt, tabo inficiunt, & ſuccreſcentes eo paullatim procedunt, donec omnia obruerint integra ſemina, atque corruperint; ita hae merces fallaces, & fucoſae tantopere juvenum animos capiant, ut melioris frugis Auctores vel penitus apud eos contemni, vel prae illis ſordeſcere videantur. Quid igitur mirum eſt, ſi exinde nihil Plauti ſalibus, & jocis, nihil Terentii lepore, nihil Virgilii majeſtate, nihil canentis odas Horatii ſubli-

blimitate detineantur? Quid ſi Quintiliani robur, Senecae gravitatem, Nepotis ſimplicitatem, Flori venuſtatem negligant? Quid ſi Caeſaris facilitatem, perſpicuitatem Varronis, Taciti nervos, acrem, conciſamque Salluſtii dictionem minime admirentur, & ſi vis etiam, Ciceronis copia, Demoſthenis vi, Iſocratis ſuavitate nequaquam ſe allici fateantur?

Sed voſmet colligite, Adoleſcentes optimi, & quoniam, dum librorum genus paſsim jam ad Litterarum perniciem irrepentium e veſtris manibus eripere contendo, eo praetervecta eſt Oratio mea, ubi primus ejuſdem pertinebat exorſus, ut ſcilicet optimos quoſque Auctores ſaltem attingeret; hos vobis deligite, & rerum nugis poſthabitis, hos germanae eruditionis duces, conſultoreſque praeſtantiſsimos adhibete. Ita ſiquidem mos Majorum, ita omnium ſaeculorum conſuetudo vos admonet, atque cohortatur, quae graviſsima apud vos eſſe debet cum aliis nominibus, tum quod praeſertim ad hanc uſque aetatem nemo unus inventus ſit, qui abſque probatiſsimis illis omnium doctrinarum praece-

ceptoribus, ac fontibus ſe aliquid ſcire, aut percipere potuiſſe fateatur. Quod cum unicuique veſtrum ſatis perſpectum eſſe intelligam, illud modo reliquum eſt, in quo praecipuus Lectionis fructus continetur, ut ubi e multis optimos tantum ſelegeritis, quamdam in legendo rationem vobis adhibendam eſſe ſtatuatis. Non enim quaevis optimorum Librorum, ſed accurata, ſed diligens eorum lectio hominem efficit litteratum. In quo nunquam ſatis admonendi eſſe videntur Adoleſcentes, qui cum plerumque niſi laborem oderint, & averſentur, improbum certe, & iteratum faſtidiunt, atque detrectant, tam feſtinanter Libros lectitant, quaſi aurigarum perfungantur miniſterio, debeantque praeſtituta ſpatia laxis habenis citiſſime tranſcurrere. Sed nihil hac legendi ratione vel ridiculum magis, vel abſurdum poteſt effingi. Quid aliud enim unuſquiſque in legendo ſibi proponat neceſſe eſt, niſi ut quae acute fuerunt a Scriptoribus praeſtantiſſimis excogitata, quae graviter, quae ornate prolata aſſequatur, vim, & rerum momenta animadvertat, alia cum aliis conferat, altiuſ-

tiuſque animo defigat, ut percepta, ampliſſima veluti ſeges, ad uſum, imitationemque praeſto ſint? Quae omnia aſſiduam, diligentemque operam poſtulare nemo non videt; cum etiam ſedulam animi cogitationem, quae ut ſuſcepta ſcientiam, ita neglecta ignorantiam parere ſolet. Hinc recte admonet Quintilianus, quo nemo fortaſſe ſapientius hac de re diſputavit, repetenda eſſe omnia, & ſedulo tractanda, & ut cibos manſos, ac prope liquefactos dimittimus, quo facilius digerantur, ita Lectionem non crudam, ſed multa iteratione mollitam, & velut confectam memoriae, imitationique tradendam. Quae enim accepimus alimenta, ita Quintiliano ſuffragatur Seneca, quamdiu in ſua qualitate perdurant, & ſolida innatant ſtomacho, onera ſunt; at cum ex eo, quod erant, mutata ſunt, tunc demum in vires, & in ſanguinem tranſeunt. Ut ex his facile intelligatis, Adoleſcentes, idem in his, quibus aluntur ingenia, vobis praeſtandum eſſe, atque ita praeſtandum, ut quaecumque hauſiſtis non patiamini integra eſſe, ne aliena ſint.

Quid quod autem vobis in ipſis animan-

mantibus exempla ſuppetunt imitanda? Apes praeſertim reſpicite, eorumque rationem vobis in legendo proponite. Non enim illae aut vagari, aut flores ad mel faciendum idoneos carpere ſatis habent, ſed quidquid attulere diſponunt, ac per favos digerunt; Ita ſane ſingula in legendo meditari operae pretium eſt, donec percipiantur, percepta iterum ac ſaepius evolvere, donec animo imbibantur, & in ſuas veluti partes diſtribuere, donec non ad memoriam dumtaxat, ut aliquando fit, ſed ad ingenium referantur. Quae cum ita ſe habeant, quo in numero putabimus eum, qui aut tam feſtinanter legit, ut lecta ſtatim omnia praetervolent, aut tam negligenter, ut vix, aut ne vix quidem primoribus labris rerum capita deguſtet, aut tam temere, ac perturbate, ut nihil eorum, quae lectitarit, imbiberit animo, atque comprehenderit? Quot erroribus eorum mens implicetur oportet, qui vel unius, ejuſdemque horae ſpatio varios pugnanteſque adverſis frontibus pervolvendos Libros aggrediuntur, vel qui in eos incumbunt, quos humeri ſint impares ſuſtinendo? Quoſque paulo

ante

ante adamarunt, abjiciunt, quos abjecerunt, iterum in deliciis habent, rarius certe in eodem ſatis conſiſtunt; & de legendi aſſiduitate, non de ratione, diligentiaque, in quibus dumtaxat utilitas ſita eſt, ſolliciti huc illuc temere vagantur. Hoc nimirum morbo laborant ineptiſſimi illi, qui nil habent antiquius, quam ſe librorum copia ſeptos, ſtipatoſque quodammodo intueri, modo hunc, modo alterum legendum arripere, donec aut ſingulos confecerint ad fucatae eruditionis oſtentationem, aut legendi ſatietate curioſitatem expleverint. Neque vident hi miſeri, ſe operam omnem perdere, & pro Junone, ut ajunt, nubem amplecti. Enimvero quin ulla utilitas laborem tantum excipiat, oculorum acies obtunditur, debilitatur corporis firmitas, ipſa facultas mentis obruitur, quae redundantem, minimeque ſubactam rerum copiam omnino reſpuit, atque averſatur.

Faceſſat igitur ab unoquoque veſtrum perdita haec, & profligata legendi ratio, Optimi Adoleſcentes, qui ſtudio inflammato ad doctrinarum omnium domicilium contenditis; & quoniam in Lit-